Digitized by Google

P. Lisini ad simpliciter usque 283.

TRIDUUM SACRUM EXERCITIIS SPIRITUS ACCOMMODATUM PRO VIRIS NOBILIBUS, ET LITTERATIS,

AUCTORE

P. FRANC. NEUMAYR,

SOCIETATIS JESU.



EDITIO QUINTA.

Monachii, & Ingolſtadii.

Impenſis JOANNIS FRANC. XAV. CRÆTZ, Bibliop. Acad. & THOMÆ SUMMER Bibl. Aug. 1756.

Digitized by Google

42.3.E.21

TESSERA.

Dominum DEUM tuum adorabis, & *Illi Soli* ſervies. *Matth.* 4. *v.* 10.

Digitized by Google

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS
Cum Privilegio Cæſareo.

CUm D. Joannes Franciſcus Xaverius Crätz, Bibliopola Academicus Ingolſtadienſis denuo typis recudere deſideret libros ſequentes; Ideam Rhetoricæ; Triduum Sacrum, Theatrum Aſceticum à P. Franciſco Neumayr S. J. Sacerdote, item, Anweiſung zur Lateiniſchen Sprach ab alio Patre de Societate; denique Conſiderationes Chriſtianas à Patre Franciſco Nepueu conſcriptas, ego Georgius Hermann, ejusdem Societatis per ſuperiorem Germaniam Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad id mihi facta ab Adm. R. Patre noſtro Aloyſio Centuriono Univerſæ Societatis Præpoſito Generali ei-

Digitized by Google

dem quoad 1mum ex prædictis libris ad 3tam: quoad 2dum ad 5tam: quoad 3. ad 4tam, quoad 4tum ad 3am: quoad 5tum ad 4tam Editionem Facultatem impertio, ſimúlque communico Privilegium Cæſareum, quô aliis Bibliopolis, atque Typographis prohibetur, ne dictos libros citra conſenſum Superiorum recudere, aut intra fines S. R. I. inferre præſumant. In cujus rei fidem has ei manu propria ſubſcriptas, & conſuetô officii ſigillô munitas dedi. Ingolſtadii 14. Martii 1756.

(L. S.)

GEORGIUS HERMANN,
S. J. Germ. Sup. Provinc.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO AUTHORIS
DE
USU HUJUS LIBELLI.

ANtequàm *vertas folium, attende, obſecro, bone Lector*, cui bono *hoc ſe tibi Opuſculum offerat. Intelliges autem, ſi docuero*, quibus, *de qua* materia, & *qua* methodo *ſcriptum ſit. Sic igitur habe.*

Quibus ſcribo, *ſunt* Viri Nobiles, ac Litterati. *Tales enim fuêre, qui audiverunt dicentem in Oratorio Mariano Congr. B. V. Mariæ ab Angelo ſalutatæ Monachii Anno* 1740. *& talium proinde ſtatui, officiis, capaci-*

tati accommodare materiam, & methodum debui. Lectorem igitur Auditoribus ſimilem jure expoſco, hoc eſt, nobilem, ſi minùs ſanguine, animo certè ad generoſam ſui reformationem reſoluto, & Litteratum inſùper, ſive qui ſaltem ſupra plebem ſit ſapiens, & plus, quàm nuda verba intelligat, ut deguſtare latentem ſub cortice ſuaviſſimum ſanctæ Aſceſeos nucleum poſſit. Quod Materiam attinet, res novas non leges: Antiquas, Catholicas, & omni hominum generi communes veritates inculco. Non enim intellectui ſcribo, qui in Litteratis inſtructus eſt ſatìs, ſed ut voluntas vehementiores ad ſeriam converſionem, qua vel ex malo in bonum, vel ex bono in meliorem nemo non indiget, impulſus ſentiat. Hoc ago, & favente DEO, obtenturum me ſpero apud eos, qui, quis ſit totius operis ordo, nexus, ac continuatio, penitiùs comprehendent. Nempe gratia naturam non deſtruit, ſed ſupponit, & adjuvat, motúmque ſupernaturalem ex ordinariæ Providentiæ regulis ſolet præcedere motus naturalis, qualem ut quis in ſe, vel in aliis magìs minúsve concitet, intereſt plurimùm, quâ Methodo agat. Mea eſt talis: 1. Scopus, quem omnibus hujus Tridui Exercitiis præfixi, eſt varius quidem pro varia diſpoſi-

ſpoſitione Lectoris, *ſed* unicus *tamen*, unicus actus heroicus, *nimirum ſine quali nulla ſit unquam morum mutatio, quæ ferat ætatem.* 2. Media *ad hunc finem opportuna ſunt tres, quos urgeo, animi affectus*: Dolor *de vita præterita*, Timor *de malis futuris*, & Amor *objecti Divini in vita præſente applicati per ſidem. Sic paulatim, atque per gradus incaleſcit mens ad fortiter audendum, quod horret.* 3. *Porro, ut iſti affectus exardeant facilè*, Meditationes *ſuppedito, in quibus* Incitamenta *expono*; *Per* Conſiderationes *removentur* Obſtacula, & *per* Diſſertationes alimentum *adjungitur.* 4. *Denique, quia quàm* neceſſaria, *tam parùm* ſufficiens *eſt omnis humana induſtria ad perficiendum opus tam grande, quantum eſt converſio animæ, ideò addidi* varias praxes *utiles pro oratione vocali*, & varios modos *devotè vel celebrandi, vel audiendi Sacrificium Miſſæ, quibus qui utetur, multos, magnósque à cœlo favores ſe meriturum ne dubitet.*

Habes, quæ monere te volui. Tuum jam erit, aptum tempus *ac* locum *deligere, quo vel* audita *repetas, vel non audita*, quaſi audires, *tecum expendas lentè, graviter, fervidè. Propterea enim, ſicut dixi, ſic ſcribo, neque omiſi verba*: Surgamus! ſedeamus! flecta-

ctamus! *& ejusmodi plura, ut faciliùs* **Imago** *Oratorii in phantaſia formetur, dicique credas, quod legis; quandoquidem vivæ vocis multò majorem eſſe in animos viam, quàm mutæ Lectionis, experientiâ conſtat. Cæterùm ſtylo facili utor, quia intelligi malo, quàm laudari, &* verè docti *cum Apoſtolo* 1. *Corinth.* 2. *volunt, ut Verbi Divini prædicatio* non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, *aut cum inanibus artificiis fiat, ſed* in oſtenſione ſpiritûs, & virtutis, *qualem non* facunda garrulitas, *ſed* ſolidè demonſtrata veritas *in viriles, doctrinæque gravioris capaces animos admirabilem exerit. Verùm ſatis eſt: Jam vale bone Lector,*

& aggredere te.

SY-

Digitized by Google

SYNOPSIS
SACRI TRIDUI,
ET
EXERCITIORUM IDEA.
DIES I.

Agenda in amaro de peccatis dolore, & dulci triſtitia compuncti cordis.

SUSPIRIUM

Sæpiùs per diem iterandum:

Sacrificium DEO Spiritus contribulatus: Cor contritum, & humiliatum, DEUS, non deſpicies! Pſalm. 50. v. 18.

MANE.

EXERCITIUM I.

Præparatio animorum, & Sacri Tridui oblatio. fol. 1.

EXERCITIUM II.

Meditatio de Fine Hominis.

1. *Finis primus hominis eſt, DEO ſervire.* Homo ſum, ut ſervus ſim: Ita fides, & ratio docet. Fuine? Et qualis? fol. 5.

2. *Finis ultimus hominis eſt, DEO frui*: Alia beatitudo nulla meretur deſiderari, nulla poteſt ſperari. Quò igitur exerrâſtis ô mea deſideria! O meæ ſpes! fol. 8.

Fructus. Vitæ huc uſque actæ ſeria inſpectio, nauſea, horror.

Propoſitum. Imitatio S. Pauli, qui, ut rectè ageret ſuæ converſionis negotium, triduum totum egit in ſolitudine *non videns, & non manducavit, neque bibit.* Actor. 9.

EXERCITIUM III.

Miſſæ Sacrificium.

Et ſub illo exercitatio *Actuum Religionis,* quos exercet Sacerdos, & qui ipſi inſigne Exercitium ſunt finis noſtri primi, ſive divini ſervitii. fol. 17.

EXERCITIUM IV.

Conſideratio de Virtute Pœnitentiæ.

Commendatur frequens, & diligens uſus *Pœnitentiæ internæ*, atque eum in finem primùm *quid ſit dolor verus de peccatis*, deinde *quantum poſſit dolor intenſus*, expenditur. Poſtremò, qua ratione uterque obtineri queat, oſtenditur practicè. fol. 22.

A PRANDIO.

EXERCITIUM I.

Diſſertatio de Sacramento Pœnitentiæ.

Cùm in novo Teſtamento, ut quis ad finem ultimum, poſtquàm deflexit, redeat, exigatur non ſolùm actus Virtutis Pœnitentiæ, ſeu dolor, ſed etiam uſus Sacramenti, ſi fieri poſſit: diſſeritur de bona Confeſſione, & recenſentur primùm *Errores confitentium*, poſteà *Modus corrigendi* docetur, eáque occaſione iterum *cura Doloris intenſi* impensè commendatur. fol. 40.

EX-

EXERCITIUM II.

Oratio Vocalis.

Pſalmus *Miſerere* per modum libelli ſupplicis ad exorandam *Doloris perfecti* gratiam DEO offertur, & in eo primùm exponitur, *quaſpe* anima miſericordiam petat, tum *qualem* petat, demum *quid* promittat viciſſim, quæ tria optimæ ſupplicationis ideam exhibent omnibûs numerîs abſolutam. fol. 51.

EXERCITIUM III.

Meditatio de Gravitate Peccati.

Ut precibus pro exorando bono Dolore addamus, quam poſſumus, & debemus, noſtram operam, meditamur ex Auguſtino: *Quanta malitia ſit*

1. *Non obedire in re facili*, ſive præcepta ipſa, ſive promiſſam mercedem attendas. Quomodò excuſabo contumaciam? fol. 60.

2. *Non obedire tantæ Majeſtatis imperio*: Quis ùt DEus, ita potens, ita ſapiens, ita ſanctus? Et ego me tali DEO imprudenter oppoſui! intolerabilis audacia! fol. 65.

3. *Non obedire tanto terrenti ſuppliciô!* Ignis manet reos, & ignis æternus: Neque territus ſum! Ubi fides? Ubi eſt ſenſus meus? fol. 73.

Fructus. Ipſum intenſiſſimi Doloris, & deteſtationis Exercitium.

Propoſitum. Imitatio S. Petri, qui non contentus ſemel doluiſſe, toties repetiit amariſſimum fletum, quoties gallum cantantem audivit.

DIES

DIES II.

Agenda in affectu ſancti Timoris, & prudentis pro ſalute ſolicitudinis.

Suſpirium ſæpiùs per diem iterandum: *Delicta mea paveſco, & ante te erubeſco: cùm veneris judicare, noli me condemnare!* Eccleſia in Offic. Defunct.

MANE.

EXERCITIUM I.

Meditatio de Morte.

1. *Mors eſt finis temporis*: Ergo *tanti* non ſunt, quanti habentur res, quæ cum tempore pereunt. Ergo *pluris* eſſe debet, quàm eſt, ipſum tempus. Sic eſt: Neque moriens aliud magis plorabo, quàm quòd tempori *nimis affixus*, & tempore *nimis abuſus* fuerim. fol. 82.

2. *Mors eſt initium æternitatis*: Nam quòd anima ſit immortalis, *ex ratione* ſaltem probabile, *ex ſide* certum, *ex utriuſque principiis* ſimul conjunctis potentiſſimè evidens eſt. Et ego vivo, quaſi *totus* moriturus? Num ſanus ſum? fol. 89.

Fructus. Bonus uſus temporis, unicè in ſpem bonæ æternitatis.

Propoſitum. Imitatio S. Aloyſii, cujus in omni conſultatione, & dubio hic mos fuit, ut ante reſolutionem interrogaret ſe: *Quid hoc ad vitam æternam?* Ita nihil agebat *ex impetu*, nihil, cujus moriturum pœniteret.

EXER-

Digitized by Google

EXERCITIUM II.
Miſſæ Sacrificium.

Et ſub illo contemplatio Paſſionis D. N. J.C. Ex cujus meritis naſcitur ſpes ſolida bonæ mortis. fol. 103.

EXERCITIUM III.
Conſideratio de Procraſtinatione Emendationis.

Cùm nihil ſit, quod mortem magis terribilem faciat, quàm quòd bonarum reſolutionum executio de die in diem differatur, ac demum omittatur omninò, demonſtratur ad oculum, quanta in procraſtinatione *Malitia*, quantáque *Stultitia* ſit, atque ita mali tam communis ſalubre odium excitatur. fol. 108.

A PRANDIO.
EXERCITIUM I.
Diſſertatio de aliis Emendationis Impedimentis.

Præter Procraſtinationem deteguntur alia ſalutis pericula, quibus objicit nos humana conditio *intra*, & *extra nos*. Intra nos jam *Puſillanimitas*, jam *temeritas* abripit in peccatum: Extra nos *verba*, & *exempla* bonæ voluntati obſiſtunt. Verùm, præter DEI gratiam, duo nos præſidia poſſunt tueri, *ſanum judicium*, quod ſuppeditat mors, & *animus generoſus*, quem Chriſti Judicis timor in ſtrenuos motus urget. fol. 128.

EXERCITIUM II.
Oratio Vocalis.

Recitantur *Lytaniæ Lauretanæ* cum devota paraphraſi ad impetrandam felicem mortem, & propitium Judicem. fol. 144.

Digitized by Google

EXERCITIUM III.

Meditatio de Judicio poſt mortem.

Ut ſanctus timor profundiùs figatur, Meditationi de Morte additur Meditatio de Judicio, quod ferè unicè mortem terribilem incuriis facit,

1. *Quia nihil eſt certius proceſſu* : Nam proceſſum neque DEus poteſt omittere, neque homo effugere. Quis mihi eſt animus ad hoc? fol. 154.

2. *Quia nihil incertius ſententiâ* : Nam, qui judicat, DEus eſt, quem nihil latet: Qui judicatur, homo eſt, quem multa latent. Et ego non trepido? fol. 161.

Fructus. Perpetuus timor Judicii, qui compellat, ut bonum faciam, malum fugiam, etſi nemo me videat.

Propoſitum. Imitatio S. Jobi, qui verebatur omnia opera ſua, & ſæpè ſolebat inſtituere *Examen*, atque interrogare ſe: *Quid faciam, cùm ſurrexerit ad judicandum DEus, & cùm interrogaverit, quid reſpondebo ei?* Cap. 31. v. 14.

DIES III.

Agenda in ſuaviſſimo Affectu Divini Amoris.

Suſpirium ſæpiùs per diem iterandum:

O DEus, ego amo te, ſolùm, quia Rex meus es, & ſolùm, quia DEus es! S. Xaverius.

MANE

Digitized by Google

MANE.

EXERCITIUM I.

Meditatio de Chriſto Crucifixo.

1. *DEus Crucifixus!* Opus ſine exemplo*! DEus*, & *Crux* quæ combinatio? Attamen per crucem demonſtravit DEus, *quòd* ſit, & *qualis* ſit. O fidei Sacramentum*!* fol. 174.

2. *DEus Crucifixus propter hominem!* gratia ſine merito! hinc collige quantum ſit *deſiderium* DEI, ut te convertas: quantum futurum ſit *gaudium*, cùm te converteris. O ſanctæ Spei ſolidum fundamentum! fol. 181.

3. *DEus Crucifixus ab homine!* Charitas ſine modo! Qui ſic amat, quàm amabilis eſt! O forte incitamentum Charitatis! fol. 187.

Fructus. Frequens aſpectus Crucifixi cum Fide, Spe, & Charitate.

Propoſitum. Imitatio S. Elzearii, cui Chriſti crucifixi intuitus ſemper fuit *in actionibus* exemplum, *in tentationibus* auxilium, in *adverſis* ſolatium.

EXERCITIUM II.

Miſſæ Sacrificium,

Et ſub illo exercitatio Virtutum Theologicarum, Fidei, Spei, & Charitatis. fol. 195.

EXERCITIUM III.

Conſideratio de his ipſis Virtutibus.

Tria ſunt, quæ perdunt Orbem, nimis exigua Fides, nimis magna Spes, & nimis languida Charitas. Demonſtratur hæc veritas, & remedia ſuggeruntur. fol. 199.

A PRAN-

A PRANDIO.

EXERCITIUM I.

Diſſertatio de Examine particulari.

Oſtenditur, quòd uſus hujus Examinis ſit Exercitium *facile* pro omni genere hominum, & *efficax* contra omne genus vitiorum, præcipuè ſi quis illud ex motivis à Fide, Spe, & Charitate imperatis ad ſui reformationem uſurpet. fol. 216.

EXERCITIUM II.

Oratio Vocalis.

Symbolum Apoſtolorum, Oratio Dominica, & Præcepta Decalogi applicantur ad Exercitium Virtutum Theologicarum. fol. 227.

EXERCITIUM III.

Meditatio de Fervore in Divino Servitio.

1. *Fervoris in Divino Servitio major eſt neceſſitas, quàm credimus* : Nam qui non contendit *eminere* in cœlo, facilè omnino excedit. Proſpicio periculum! fol. 236.

2. *Minor eſt difficultas, quàm putamus* : Nam *multa*, & *magna* merita colligere, non eſt res nimis ardui laboris. Cur renuam? fol. 243.

Fructus. Efficax deſiderium *nihil mediocre* moliendi in cultu Virtutis, ad exemplum S. Xaverii, qui nunquam dixit: Satis eſt!

CONCLUSIO EXERCITIORUM.

Exhortatio ad vitam novam *ab actu Heroico* inchoandam, qualem hujus Tridui tres affectus poſtulant, Dolor, Timor, Amor. fol. 253.

SACRI

Digitized by Google

SACRI TRIDUI
EXERCITIA
DIEI PRIMÆ.
PRÆFATIO.

Ingreſſus Oratorium Director, poſt brevem orationem ad aram Matris Propitiæ, non ab alio lumine, quàm quod modicè emicans lampas fundebat, colluſtratam, aſcendit pegma nigris tapetibus veſtitum, & inter Crucifixi imaginem, ac ſellam conſiſtens collectos jam DD. Sodales ſalutavit, dicens:

LAUDETUR JESUS CHRISTUS!
℟. IN ÆTERNUM.

Deinde ſic incipit loqui lentè & cum affectu:

QUod igitur viventibus fructum uberrimum, morituris dulce ſolatium ferat, incipiamus Exercitia ſpiritûs. Eja, Mariani DD. Sodales, *humiliate capita veſtra DEO!* ... ſubmittite oculos! ... attollite manus! ... flectamus genua! *Regem, cui*

omnia vivunt, venite, adoremus! . . . Et, qui fortè plures annos conſecravimus nugis, tandem unum Triduum, *unum triduum* DEO Optimo Maximo ſuppliciter conſecremus . : . Igitur *venite adoremus, & procidamus ante DEum, qui fecit nos, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter, nos autem populus ejus!* Pſalm. 94. Procidamus! dicamus:

Suſcipe SS. Trinitas univerſam noſtram libertatem! . . . Tibi, *Pater de Cœlis DEus!* ſacra memoria noſtra: nihil hoc triduo, niſi ſanctum, volvemus animo . . . Tibi, *Fili Redemptor Mundi Deus!* ſacer ſit intellectus: ad attentionem æternarum veritatum unicè illum applicabimus . . . Tibi, *Spiritus Sancte DEus*, ſacra ſit voluntas: toto conatu in piis affectibus aſſiduè ipſam exercebimus . . . Sed, quoniam ſine tuo Numine nihil eſt in homine, Eja! quod dediſti velle, da perficere, & *veni S. Spiritus*, Anima noſtræ animæ! . . . veni, *reple corda* miſerè inania, & nequidem bonæ cogitationis, niſi per te, capacia! . . . veni, *accende ignem*, ſine quo toti frigemus! veni! . . . ô veni . . .

Magna eſt gratia, DD. Sodales, magna gratia, quam petimus, ſed neceſſaria, neceſſaria! nam, quid ego ſum niſi *æs ſonans, & cymbalum tinniens!* 1. Cor. 13. Cathedram in cœlo habet, qui corda docet. Ille igitur, in cujus ſolius manu poſitum eſt omne cor, ut efficaciter nobis loquatur ad cor, tu, *MATER PROPITIA*, cujus corona præ ſtellis fulgida boni

So-

Sodales ſunt, *MATER PROPITIA*, ora pro nobis! . . .

Hac ſpe animati, veſtróque inſuper, ô SS. Angeli, qui ſingulis nobis ad latus aſſiſtitis, & hoc præcipuè Triduo, quid acturi ſimus, obſervabitis, veſtro freti auxilio incipimus Diem primam . . . Surgite! ſedeamus . . .

EXERCITIA
DIEI PRIMÆ.
ANTE MERIDIEM.

DIes 1ma agenda eſt in *amariſſimo dolore, & dulciſſima compuncti cordis triſtitia* . . . . Voco *dolorem amarum*, quia talem exigit vitæ malè actæ inſpectio. Voco *dulcem triſtitiam*, quia fervida contritio de peccatis ſuave ſolatium habet, & teſte Auguſtino, dulciores ſunt lacrymæ pœnitentium, quàm gaudia theatrorum . . . Igitur parate animos ad luctum! . . . vultum ad pudorem! . . . oculos ad fletum! . . . cor ad gemitus! . . . Suſpirium Regis pœnitentis, ex Pſ. 50. cum humili fiducia ſæpe per diem repetite: *Sacrificium DEO ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum DEus non deſpicies!* . . . Jam hoc affectu occupati aggredimur Meditationem primam, cujus *Materia* eſt de Fine hominis. *Puncta duo*: Primus finis hominis eſt, *DEO ſervire*, hoc primum: ultimus finis hominis eſt, Deo frui, hoc poſtea expendemus. *Fructus*, quem optamus,

eſt ſeria vitæ hucuſque actæ inſpectio, nauſea, horror ... Surgamus.

Colligite vires, DD. Sodales, & ad ſummi momenti veritatem, quippe quæ ad totius vitæ bonæ fundamentum eſt, utiliter penſitandam, totam animam applicate. *Deus nos videt*, Deus Alpha noſtrum & Omega, Principium ac Finis, à quo omnis felicitas pendet: DEUS hanc a nobis applicationem diligentiámque exigit & meretur. *Vivit*, ſic profiteor viva fide, *Vivit Dominus, in cujus conſpectu ſto!* ... 4. Reg. 3. Invocemus Divinam opem, & dicamus *Veni Creator Spiritus!*

EXERCITIUM I.

MEDITATIO

De Fine Hominis.

PRæludium I. Imaginemur nobis viva repræſentatione agrum Damaſcenum, in quo Deus ex gleba terræ efformet ſtatuam. Opus figuli videmus, fragile, inanime, ſine motu. At ecce! in faciem ſtatuæ inſpirat Creator ſpiraculum vitæ, & mox adſtat Homo vegetus, pulcher, intelligens. Flexo genu ſine mora adoranti Factorem ſuum, dicat DEUS voce ac ſenſu gravi: *Servus meus es tu, in te gloriabor!* Iſa. 49. ...

Prælудium II. Ex deſiderio cognoſcendi, & corrigendi defectus vitæ præteritæ, ſuſpiremus cum Pſalmiſta: *Domine! notum fac mihi*

finem

Digitized by Google

finem meum, ut ſciam, quid deſit mihi! Pſ. 30. Sciam, & plangam planctu ſalubri! . . . Sedeamus.

PUNCTUM I.

Primus finis hominis eſt, DEO ſervire.

E*Xercitium memoriæ.* Homo ſum, ut ſervus ſim. Quid eſt homo? Homo compoſitum eſt corpore & anima. Habeo corpus, & in corpore oculos, ut videam opera DEI, aures, ut audiam verbum DEI, linguam, ut loquar magnalia DEI, manus & pedes, ut peragam mandata DEI. Habeo *animam*, & in anima memoriam, ut cogitem Deum, intellectum, ut æſtimem Deum, voluntatem, ut amem Deum. Inſtrumenta hæc ſervitutis ſunt, quam à me exigit Deus, & propter quam fecit, ut homo ſim. Homo ſum, ut ſervus ſim. Non ſum homo, ut dives ſim, ut doctus ſim, ut potens ſim: hæc omnia non eſt neceſſe, ut ſim: *ut ſervus ſim*, hoc unum eſt neceſſe, hoc unum *primò* intendit Deus, cùm fecit, ut ſim. Cætera creavit *propter hominem*, hominem *propter ſe*. Homo ſum, ut ſervus ſim.

Exercitium intellectûs. Fides & ratio hanc veritatem demonſtrant. Et *Fides* quidem quid doceat, in hiſtoria de primo homine legimus. Vix creaverat hominem Deus, cùm introduxit eum in Paradiſum. Ibi cibum ex omni ligno concedit: excipit lignum ſcientiæ, inobedienti mortem intentat: reum denique

ex horto voluptatis in vallem lacrymarum amandat. Advertitis modum agendi? permittere, prohibere, minari, punire, plane actus ſunt *Domini*, ſubjectionem exigentis, ne dubitare Adamus poſſet, ad quem finem eſſet creatus. Quamquam, qui homo erat rationis compos; quomodò dubitare potuiſſet de veritate, quàm evidens ratio adeò clarè demonſtrat? Ecce! in DEO, *præter Omnipotentiam*, etiam infinita *Sapientia*, & ſumma *Sanctitas* eſt; proinde nihil omnino poteſt Omnipotentia agere, niſi & ſapienter, & ſanctè. Nemo ſanus hanc ſententiam negat. Jam, ut Deus agat *ſapienter*, requiritur *prudens finis*: ut agat *ſanctè*, exigitur *conveniens modus*. Quis contradicat huic etiam theſi, ſi vel voces intelligit? ... Pergamus igitur. Quæro: cùm Deus creavit mundum, & in mundo hominem, ſi non creavit *propter ſe*, & *propter gloriam ſuam*, quem potuit finem alium *ſapienter* intendere? quocunque te verteris, nullus occurret. Si verò *propter gloriam ſuam* decrevit Deus eſſe *Creator mundi*, profectò ut vellet etiam eſſe *Gubernator*, liber non fuit. Sanctitas, *Sanctitas* poſtulabat, ut certis legibus mundi incolas ad ſibi ſerviendum adſtringeret. Ecquis eſt ita hebes, ut iſtam demonſtrationem non capiat?

Exercitium voluntatis. Certum eſt igitur: *Homo ſum, ut ſervus ſim.* Fuíne autem hucuſque ſervus Dei? & qualis fui? ... Servire Deo, eſt

eſt obedire Deo: ſi malè obedivi, *malus ſervus* fui: ſi non obedivi, omnino ſervus non fui... Ex hac regula jam cum Ezechia Rege Iſa. 38. *Recogitabo tibi*, Deus mi, *omnes annos meos in amaritudine animæ meæ!* ... Recogito *annos pueritiæ.* Equidem flores tunc apparuerunt in terra mea, flores bonæ ſpei, ſed quos repentè infelix pruina decoxit. Quid? hoc ingemiſcendum eſt mihi, quod in ſe Auguſtinus ploravit: *Tantillus puer, & tantus peccator!* ... nam quamdiu illæſam ſervavi innocentiam? fortè vix 15. annos natus jam 15. numeravi peccata mortalia? ... quamquam quid 15. dico? fortè jam 50,! fortè 500; fortè adeo 5000.! heu! quantillus puer, & quantus peccator!... Recogito *annos adoleſcentiæ.* O confuſio! Quid? fuitne inter me, & Filium prodigum diſcrimen aliquod? aut, num non ego etiam dilapidavi ſubſtantiam meam, tempus, opes, famam, ingenium, vires, cum meretricibus vivendo luxuriosè!:.. Recogito *annos ætatis virilis.* Ah! ego ſum ſtultus ille dives, Luc. 12. qui futuræ vitæ incurius, & modò ſibi in hac vita bene eſſet, contentiſſimus dicebat: *Anima mea, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare!* ... Superi! quid aliud ſibi equus, aut porcus dicerent, ſi loqui poſſent? ... Quodſi hæc eſt hiſtoria vitæ meæ, heu fatendum eſt utique: *Servus Dei non fui! non fui!* ... Demus tamen, ô anima mea! quòd te vitæ adeo turpis conſcientia tua non

arguat, habeóne propterea, unde placeam mihi?... *Servus DEI fui!* ſit ita: ſed *qualis fui?* poſsúmne ſperare illud elogium Matth 25. *Euge ſerve bone & fidelis!* an potiùs timendum eſt mihi illud opprobrium: *Serve male. ſerve piger!...* hoc certum eſt: *multa mala feci, parùm boni, & hoc ipſum parùm benè!....* Qualis igitur ſervus fui?... Ah! talis, ut ego *mei ſimilem* in meis ſervitiis diu nollem tolerarë. Pudet! vidi me ſatis: pudet!...

Age verò, cur non ſervivi Deo ferventius!.. attamen ex Dei ſervitio omnis mea felicitas pendet, ut adeo, ſi Dei nolui, ſaltem mei debuiſſem rationem habere, an hoc neſcivi?.. non neſcivi, ſed nempe ſeriò nunquam expendi. Expendamus hodie, DD. Sodales, & *primum* finem hominis *cum ultimo* conjungamus. *Primus finis hominis eſt, Deo ſervire*, hoc vidimus in puncto 1mo. Sequitur

PUNCTUM II.

Ultimus finis hominis eſt, DEO frui.

EXercitium memoriæ. Poſtquam creavit Deus hominem, neceſſariò factus eſt Dominus hominis, neque fuit liber, ut ad ſerviendum ſibi obligaret nos, vel non obligaret: ſed ut obligaret nos *ſine mercede*, vel *pro mercede*, in hoc fuit adhuc liber: poterat exigere obedientiam, quin ullum promitteret præmium: *Mancipia ſumus.* Verùm quia *bonus eſt*, voluit,

luit, ut *ſervire ſibi* eſſet finis meus *primus*, ſed noluit, ut eſſet *unicus*: voluit, ut per viam ſervitii *beatus* fierem. Beatitudinem autem meam conſtituit in poſſeſſione ac fruitione ſui; ſic fides docet: *Ego*, inquit, *ego ero merces tua magna nimis.* Gen. 15. quaſi diceret: ſi ſedulò mihi ſervies, *frueris me*, & eâdem mecum beatitudine beatus eris. Ita: *hoc fine vivo*, ut Deo ſerviam in terris, *hoc fine ſervio*, ut Deo fruar in cœlis.

Exercitium intellectûs. Ergóne in hunc finem non toto impetu ferar! ... *DEO frui*, ô anima mea, *DEO frui*, hæc beatitudo mea ſumma eſt, ultima, una... *ſumma* eſt, quia cogitari beatitudo major non poteſt, quàm quâ beatus eſt ipſe Deus ... *ultima* eſt, quia, qui hanc poſſidet, perfectè quieſcit, & ultra deſiderat nihil... *una* eſt: quia *nulla alia meretur deſiderari*, imò *nulla poteſt ſperari.* Certè, quantacunque ſit *hujus vitæ* felicitas, imperfecta & brevis eſt. *Vidi*, clamat expertus omnia Salomon c. 2. Eccl. *Vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi*, en imperfectio! *& nihil permanere ſub ſole*, en brevitas! ... Nemo omnia poſſidet: Divitem morbus affligit, valentem malè habet egeſtas: qui clarus eſt ſanguine, caret ingenio, quem ingenium evehit, premit invidia: vir potens ſuſpirat hæredem, abundans hæredibus amicos deſiderat: elatum officio curæ circumſtant, à curis liberum conſcientia cruciat: denique, cui deſit nihil,

quod cupiat, reperies neminem & ſi reperires etiam, non adeò digna deſiderio illa felicitas eſſet, quia, quò eſſet major, eſſet miſerior, & per recordationem finis atrociùs animum flagellaret. Triſtiſſima enim cogitatio eſt: *hodie bene eſt mihi! . . . ſed quamdiu ſic, & quid poſtea?* . . . Ah! non eſt hoc nomine digna felicitas, cui repente finem faciunt aut *incerti* caſus, aut *certa* mors . . . Dices fortaſſe: quamvis imperfecta hujus vitæ felicitas ſit, deſiderari tamen prudenter, *ſaltem præ miſeria*, poſſe . . . Verùm audi, ô bone, ne iſta quidem ſententia ſapientibus viris probatur. Ajunt, felicitatem hujus temporis prudenter non appeti, niſi quando eſt *medium* ad conſecutionem futuræ; contingere autem ſæpius, ut impedimentum ſit potius, quàm medium, multóque plures ſalvari Lazaros, quàm Epulones. Inde concludunt, *per ſe* illam nequidem in comparatione miſeriæ noſtram electionem mereri. Hic tu conſidera, quàm miſera beatitudo ſit, præ qua, qui ſapit, ſæpius debet ipſam miſeriam ſibi eligere. Certè hæc doctrina æternæ Sapientiæ eſt, *verbo* millies inculcata, *exemplo* uſque ad mortem, mortem autem crucis firmata, & à docilioribus Diſcipulis per imitationem heroicam omnibus ſæculis deducta in praxin . . .

Attamen, quia *non omnes capiunt verbum hoc*, & in multis concepta ab incunabulis præjudicia, quòd deſiderio aliquo digna ſint hujus

vitæ

vitæ bona, nimis profundas radices egerunt, mea pace, abundet quisque in ſuo ſenſu! *deſideret* eſſe felix in hac vita!... dico, quod deſiderat, *ſperari non poſſe, niſi ſit ſervus Dei!* adeo à ſervitute Dei *utriusque vitæ* felicitas pendet.. Conclamabitis: reclamat experientia! nam quanti paſſim circumeunt *ſervi Dei in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti!*.... Hebr. 11. Audio; ſed repeto ſententiam: ſicut *nulla meretur deſiderari* felicitas, niſi quæ parata eſt ſervis Dei, ſic *nulla ſperari poteſt*, niſi à ſervis Dei!... digna eſt veritas, cui autem utramque & totam mentem ſollicitè explicetis. Percipite. Si quis unquam *judicio mundi* felix in vita præſenti fuit, Aman erat, primus in aula Regis Aſſueri Miniſter. Beatitudinis ſuæ ſummam ipſe Eſth. 5. exponit, amplificat magnitudinem divitiarum ſuarum, filiorum turbam enarrat, quanta cum gloria ſuper omnes Principes, & ſervos ſuos Rex elevâſſet, gloriatur, & poſt hæc ait: *Regina quoque Eſther nullum alium vocavit ad convivium cum Rege, præter me, apud quam etiam cras cum Rege pranſurus ſum.* Hactenus bene, & ad invidiam bene agitur cum Amano. At ecce! in ipſo convivio Regina hominem accuſat affectatæ tyrannidis: iraſcitur Rex, ſurgit à menſa, citatíſque paſſibus per hortum deambulans, quo ſupplicio perimendus ſit reus, deliberat. In hoc rerum ſtatu quæro ex vobis DD. Sodales, ſitne aliquis veſtrûm, qui

adhuc

adhuc Amanum felicem eſſe exiſtimet? .. imò jam ita miſer eſt, ut nemo nequidem de ultimis aulæ calonibus ſortem ſuam cum ſorte primi Miniſtri mutaret. Cur verò? profectò adhuc Aman bona valetudine gaudet, adhuc vivunt uxor & filii, adhuc tituli, horti, palatia, opes intactæ ſunt: cur igitur miſer vocetur? . . . Ah! habeat omnia: nihil refert! *Iratus eſt Amano Rex*, non ſolùm ſufficit, ut ſit infelix, quia cætera omnia à Rege pendent: *nutu eſt opus*: & omnia perdidit.... Hem! *ira hominis* facere poteſt, ut homo feliciſſimus momento infelix fiat: *Ira DEI* non faciet? adhuc vocari poſſit *beatus vir*, *cujus Deus eſt hoſtis?*... abſit! actum eſt: nulla ſperari beatitudo poteſt, niſi à ſervo Dei! . . . Bona, quæ habent impii, connivente Deo, *niſi bonos faciant*, bona non ſunt, quia beatus eſſe non poteſt, niſi qui bonus eſt! & habet amicum Deum, à cujus gratia *independens Beatitudo*, ſomnium, mendacium, chimæra eſt . . .

Exercitium voluntatis. Quò igitur exerrâſtis ô mea deſideria! ô meæ ſpes! . . ah! aliam, ſemper quàm illam, quæ à Deo mihi parata eſt, beatitudinem mihi quæſivi: ideo media etiam inepta adhibui! . . . Erratum eſt! *ſola beatitudo eſt*, Deo frui, *unum medium*, Deo ſervire... cæcúſne fui, qui doctrinam non vidi, cujus deſcriptio, quocunque vertor, ſe mihi oſtendit?... *Dominum Deum tuum adorabis*, & *illi ſoli ſer vies*, ô ſic ſcriptum eſt in lege naturæ,

recta

recta ratio docet; ſcriptum eſt in Lege Moyſis, & lapideis inſertum tabulis, ut perennaret; ſcriptum eſt in Lege Gratiæ, & ſcriptum characteribus aureis *ſupra me*, characteribus igneis *infra me*, characteribus Divinis *intra me & extra me* characteribus tot linguarum, quot ſe creaturæ objiciunt, quæ clamant omnes Pſ. 99. *Ipſe fecit nos!* ipſe ſolus eſt Dominus, ſolus Altiſſimus! *ſolum ama!* ... Væ mihi! qui contra tot ſcripturas, tot Deos & Deas adoravi, quot creaturas *præter Deum, & non propter Deum amavi!* ... Væ mihi, cui hæc *ultima* cura fuit, laborare, ut mererer aliquando *Deo frui!* .. Ah finis ultimus *primus* eſſe debuit in omni mea intentione: & ego deſideria mea, & meas ſpes propè unicè in hujus vitæ beatitudine fixi! ... Credidi beatum me eſſe poſſe, etiamſi offenderem Deum! imò ſi *perderem* etiam! O deſideria ſcelerata! ô ſtultæ ſpes, quò exerrâſtis? ...

Superi! quàm ego verè beatus forem, ſi dicere Deo poſſem, quod de ſe confidenter ille Juvenis dixit, de quo Marcus c. 10. narrat, quòd, cùm interrogâſſet Servatorem, qua poſſet via in cœlum venire, & JEſus illi recitâſſet præcepta Decalogi, reſponderit promptè: *Magiſter, hæc omnia obſervavi à juventute mea!* ... DD. Sodales, ecce de Cruce hac inclinatum caput attollens JEſus circumſpicit vos, magnáque voce clamans cuilibet, heus, inquit: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata!* éſtne ali-

aliquis, qui dicere verè poſſit, *omnia obſervavi!* . . . ô quisquis es, beatus es! JEſus intuitus te dilexit te! . . . ſed te intuitus, ô homo incurie, qui horum omnium *obſervaſti nihil*, quomodò te diliget? te, qui Decalogo Dei præfers *Mundi Decalogum?* te, qui coram Deo vero, *Deos alienos*, Regem tuum, tuum commodum, *intereſſe*, ac fortunam adoras? qui nomen Chriſtiani aſſumpſiſti *in vanum?* qui *Sabbatum* Baccho, Veneri, & Mammoni omni die ſanctificas? . . . Te, qui Majorum gloriam, & Parentum curam degeneri proſtitutione peſſumdas? qui nomen latronis per duella ambis pro dedecore? cui mœchari jocus eſt, furari artificium, calumniari privilegium, mentiri neceſſitas? qui denique erectus in ſuperbiam intolerabilem, *tanquam pullum onagri te liberum natum putas?* Job. 11. te talem intuitus de Cruce Chriſtus quomodò diliget? . . . Ego obſecro! claude oculos, Domine, reclina caput, & talem ne intuere! nam ſi intueberis, vereor, ne reſolutâ dextrâ, clavum in fulmen vertas, quo conteras ſceleſtum caput! . . .

Tu verò, ſi quis ades, rebellis ſerve, huc progredere. En clauſit oculos in mortem Chriſtus, & clauſit, ut tu aperias. Aperi ad hoc ſpectaculum, vide hanc imaginem, diſce, *quid*, & *quanti* ſit, Deo ſervire. . .

Surgite, DD. Sodales, & dicite, quæſo, *quem dicunt homines* eſſe hunc hominem, quem

ex

ex iſto patibulo ſuſpenſum videmus?... Ethnici latronem credunt, Judæi ſeductorem populi clamant, Athei putant inſanum, Turcæ denique modeſtius, innocenter condemnatum Prophetam dicunt. Errant omnes. *Vos autem quem eſſe dicitis?*,.. ah! *Tu es Chriſtus, Filius DEI vivi!* Matth. 16. Sic fide indubia confitemur... Terra, terra, terra audi, vide, ſtupe! *Qui non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem DEO*, Philip. 2. Filius Dei vivi, Filius Dei *humiliavit ſemetipſum*, formam ſervi, *formam ſervi accepit, & factus eſt obediens*, ut doceret, *quid*, & obediens *uſque ad mortem crucis*, ut doceret, *quanti ſit*, Deo ſervire. In hoc ſpeculo quisque videat ſe, & comparet vitam ſuam cum vita Chriſti... O pudor! nauſea! horror!... Procidamus, & Filii exemplo tracti, nunc ſaltem Patri ſervitutem juremus.

COLLOQUIUM.

O Pater æterne, ecce hic eſt Filius tuus dilectus, in quo tibi meritò bene complacuiſti! ego non ſum dignus vocari Filius tuus! ah ut ſaltem ſervus fuiſſem!... equidem creâſti me, ut tibi ſervirem: ſed, ô me nauci hominem! ut quid enim terram occupavi!... homo ſum, ut ſervus ſim: nihil minus fui; aut ſi fui ſervus; ſemper *piger*, ſæpe *malus*, non rarò etiam *rebellis* ſervus fui, ut adeò, qui ſic neglexi *finem primum*, indignus ſim conſequi *finem ultimum*, & frui te.... Sed reſpice pœniten-

nitentem!... Ecce *hoc fine* hoc tibi Triduum conſecro, ut *diſcam* tandem, & *incipiam* etiam ſervire tibi ſervitutem bonam, ferventem, conſtantem... Suſcipe, Pater bone, hanc bonam voluntatem;... & tu, bone JEſu, ſicut ſervire me doces exemplo, ſic juva auxilio. *Pater noſter.*

REFLEXIO.

SEdeamus... Meditati ſumus, *cur* vivamus: poſthac cogitandum erit, *quomodo* ſit vivendum, & hoc eſt opus, hic labor ſacri Tridui, quod ut cum fructu majore impendamus Deo, imitemur S. Paulum, qui ſpirans minarum, & cædis, ac nihil minus, quàm de vitæ mutatione cogitans, ibat Damaſcum, Act. 9. Cùm repentè circumfulſit eum lux de cœlo, humíque proſtratum clamare coëgit: *Domine, quid me vis facere?* reſponſum eſt... *Ingredere civitatem, ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* DD. Sodales, idem credite, dici vobis. *Prima Meditatio* lumen fuit, quod vobis oſtendit. Dicitis tacitè: *Sic eſt; malè ſervivi Deo: doleo! ſed jam Domine, quid me vis facere?* Et ecce! quid reſpondet cor? *ingredere Oratorium*, ait, *ibi dicetur tibi.*... Sed tu te applica, ſicut Paulus. Ille in urbe *tribus diebus fuit non videns, & neque bibens, neque manducans*, ſed meditans de vita *præterita, & futura.* Hæc tria propoſita fructus primæ Meditationis ſunto: 1. Triduum continuum, *ſine interruptione*, impendite Exercitiis ſpiritûs

tus: non admittatur excuſatio aliqua. 2. Amate tenebras, & ſolitudinem colite. 3. Temperantiæ adjungite aliquam abſtinentiam, & mortificationem. Hæc tria ex Saulo Paulum, ex perſecutore Eccleſiæ fecerunt Apoſtolum. O mutatio bona! ... verùm *non eſt abbreviata manus Domini!* Iſ. 58. Mutabit etiam nos in viros alios: ſperemus bene! certè Sacrificium Miſſæ ad ejusmodi gratiam promerendam plurimùm juvabit, ſi recta intentione & congruo modo audiamus. Surgite, & accingite vos!

EXERCITIUM II.
MISSÆ SACRIFICIUM.

I*Ntentio* hæc ſit: volo audire Miſſam, ut exorem à Deo gratiam pro hoc Triduo ſalubriter agendo neceſſariam mihi... *Modus* conſiſtet in Exercitio *Actuum Religionis* eorundem, quos exercet Sacerdos, & qui ipſum Divini ſervitii, ſeu *primi finis noſtri* exercitium ſunt. Sacerdotem igitur per omnia imitabimur, atque ita cum ipſo colemus Deum *cultu ſummo*, quo coli poteſt, quíque infinities major eſt, quàm quo ab omnibus Sanctis ſimul colitur; nam Deum Deo immolamus... Attendite diligenter: fortè erit aliquis, qui poſtea fatebitur: totâ ſe vita nunquam ita devotè Miſſam audiviſſe. Totam divido in tres partes, Initium, Medium, ac Finem. Flectamus.

Digitized by Google

MISSÆ INITIUM

TRes actus complectitur, confeſſionem, petitionem, & lectionem. A confeſſione incipimus, quibus *juſtus prior eſt accuſator ſui.* Prov. 18. Igitur

Ecce Sacerdos ùt Publicanus ſtat à longè, neque oculos audet attollere. Dicamus cum ipſo: *Confiteor Deo omnipotenti* cum tremore! ... *Confiteor B. Mariæ ſemper Virgini*, cujus ingratus fui patrocinio! *B. Michaeli Archangelo*, cujus præſidio ſum abuſus! *B. Joanni Baptiſtæ*, cujus me innocentia confundit! *SS. Apoſtolis Petro & Paulo*, quorum doctrinæ ſanctæ mores meos adeo nihil conformavi! ... *Confiteor omnibus Sanctis*, à quorum exemplis adeo deviavi! ... *Confiteor*, *quia peccavi nimis!* eheu! nimis contrá obligationes mei ſtatûs & officii, *mea culpa!* ... nimis contra obligationes ſanctæ fidei, *mea culpa!* ... nimis inſuper etiam contra obligationes rationis & ipſius naturæ, *mea maxima culpa!* ... Deus propitius eſto! ...

Confeſſionem ſequitur *petitio* per unam vel plures orationes, quas facit Sacerdos ùt legatus Eccleſiæ. Quisque gratiam ſibi, pro ſe, vel pro aliis deſignet aliquam, & dicat cum eodem: *Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat per Chriſtum Dominum noſtrum*, qui mecum ſimul clamat pro me! ...

Petitionem excipit *Lectio* Epiſtolæ ac Evangelii. Utriusque Teſtamenti verba verbum Dei ſunt, omni reverentia dignum ... Surgamus!

mus!... *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit*, Jo. 8. Dicamus: *Loquere Domine, quia audit ſervus tuus!*... 1. Reg. 3. *Domine quid me vis facere?*.. Act. 9. *Verba vitæ æternæ habes!*... Joan. 6. Ecce ego!...

MISSÆ MEDIUM

AB Offertorio uſque ad Communionem protenditur, & quadruplex Sacrificium habet, Propitiatorium, Evchariſticum, Impetratorium, & Latrevticum.

Sacrificium *Propitiatorium* exhibetur in Offertorio. Cum Hoſtia cor imponamus patenæ, & repetamus ſuſpirium hodiernæ diei proprium: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus* tribulatione amara: *cor contritum & humiliatum* dolore ſerio, pudore maximo, *Deus non deſpiciet!*...

Sacrificium *Evchariſticum* ut faciamus, Præfatio admonet. Eja! ut *gratias agamus Domino Deo noſtro, dignum & juſtum eſt!*... Pro quo beneficio? pro creatione? magnum beneficium eſt: ſed ô de quantis dici poteſt, quod Servator Matth. 29. de Juda dixit: *Bonum erat ei, ſi non fuiſſet natus homo ille!* pro redemptione? magnum beneficium: ſed oro! contra quantos clamat ille Sanguis, pro quibus viſus eſt fluere in ſalutem! pro ſanctificatione? magnum beneficium eſt, ſed eheu! quanti ſanctificati per aquam in baptiſmo, commiſſa ſcelera per ignem luent in inferno!... Ego gratias ago pro patientia, *pro Patientia Dei* cum

ſervo tam pigro, tam malo! confiteor cœlo & terræ, confiteor! *niſi Dominus cuſtodiſſet me, paulò minùs in inferno habitâſſet anima mea!* Pſ.93. Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus noſter, qui me peccatorem in Sanctorum ſocietatem invitat!...

Sacrificium *Latreuticum* in Elevatione peragitur. Aſſurgite animo in fidem vivam: Deus Deum adorabit!... & jam ecce! miraculum; miraculum! *Verbum Caro factum eſt!* Joan. 1, clamemus corde & ore: *Credo Domine*, non oculis meis, ſed verbis tuis! oculi dicunt, hanc Hoſtiam eſſe panem, Tu dicis: non eſt panis! *Hoc eſt corpus meum!* Matth. 26. Tibi credo! adoro te;... En! novum miraculum! verbo mutatum eſt vinum in Sanguinem! Credo, quia tu dixiſti æterna Veritas: *Hic eſt Sanguis meus!* Marci 14. Adoro te! obedíſti voci hominis, qui toties non obedivit voci Dei! obediam poſthac! *Tibi ſe cor meum totum ſubjicit, quia te contemplans totum deficit....*

Sacrificium demum *Impetratorium* ad *Pater noſter* offerimus. Septem petitiones ſunt, quæ ſeptem diebus hebdomadæ reſpondent. Quotidie *unam* ferventiùs urgeamus, & quia hodie feriam 2dam agimus, dicamus toto affectu: *Adveniat regnum tuum!* ô quàm ſordet mihi terra! cœlum, cœlum eſt *finis meus ultimus!* ibi videbo, ibi amabo te, Amor mi, ibi te *fruar*, & requieſcam!...

MIS-

MISSÆ FINIS

IN Communione conſiſtit, cujus partes ſunt præparatio, ſumptio, gratiarum actio. *Præparatio* fit per *deſiderium*, dicendo *Agnus Dei.* O Leo de tribu Juda: qui factus es *Agnus*, & occiſus pro me, *miſerere mei!* ego reus ſum tui ſanguinis! *miſerere!* tolle peccatum! & veni, obſecro, veni, *dona pacem* deprecanti, & poſſide me, eſto meus, ut tuus ſim!!...

Sumptio ſpiritualiter agitur cum affectu ſubmiſſo, dicendo: Quanquam qua fronte invito te, ut poſſideas me!... propter peccata commiſſa, propter bona omiſſa, & propter exiguam devotionem, *Domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum!* attamen *dic verbo*, & dignum me facies, *ſanabitur anima mea!* tunc venies, & *vivam ego, jam non ego.* Gal. 2. Tu, tu vives in me!... *Dic verbo*, ô verbum dulce! ô bona ſpes!... & habeo tantæ ſpei pignus in hoc Sacramento, quod quia Sacramentum infiniti *Amoris* eſt, video, quàm *amabile* Numen ſis! amo, da, amem amplius!

Sequitur *Gratiarum actio*, in Poſtcommunione dicamus cum Davide Pſ. 116 *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi* in Sacramento hoc: *Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia ejus!* neque enim eſt alia gens, quæ habeat Deos ſic appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis, & uſque ad conſummationem ſæculi ſe adfuturum promiſit!

ſit!... Jo! deſcendat ſuper nos benedictio ejus, & maneat ſemper! ô maneat!

Habetis modum audiendi Sacrum (quin & dicendi qui Sacerdotes ſunt) facilem, utilem, devotum. Utemini cum multo fructu deinceps etiam. Aſſueſcite, obſecro, neque, ne propterea oratio vocalis, quam ſub Sacro facere ſoletis, omitti debeat, metuite. *Jungite voci mentem* ex praxi hac: ita non omittetur oratio veſtra; ſed perficietur. Ego ſanè non credo adeſſe quemquam, qui dicere audeat, hodie ſe minùs, quàm aliàs, devotè Miſſam audiiſſe. O factum bene! igitur cum majori ſpe gratiæ, & boni fructûs, jam Conſiderationem aggredimur. Sedeamus.

EXERCITIUM III.
CONSIDERATIO
De Virtute Pœnitentiæ.

POſtquam meditati ſumus de Fine hominis, vidimúsque nos erráſſe à via, facere debemus, quod errore perſpecto prudens viator facit: *redit in viam.* Reditus autem hic per Pœnitentiam fit, quæ à Theologis dupliciter conſideratur 1. ùt virtus. 2. ùt Sacramentum. Virtus Pœnitentiœ *ſine Sacramento* (ſaltem in voto) non ſufficit, & Sacramentum *ſine virtute* vix proficit ad ſalutem: *conjungi debent.* Quapropter, ut conſideratio de materia tam

gravi

Digitized by Google

gravi integra ſit, poſt meridiem *de Sacramento*, nunc de *Pœnitentiæ virtute* agemus.

Virtutem igitur Pœnitentiæ definiunt Scholæ, quòd ſit *Habitus nos inclinans ad actus, per quos in nobis offenſam Dei deſtruimus, & debitam pro illa ſatisfactionem præſtolamur.* Ejusmodi actus Pœnitentiæ alii ſunt externi, alii interni. De externis brevitatis causâ omitto ſermonem; *de internis* tantùm dicam, hoc eſt, *de actibus veri doloris de peccato*, qualis ſi adeſt, facilè *actus externos* trahit poſt ſe: ſi verò non adeſt, omnis *Pœnitentia externa* ſemper vana eſt, ſæpè hypocriſis eſt, nunquam actus utilis ad meritum. Hic jam deceptionem notate. *Confeſſio*, quæ eſt actus Pœnitentiæ *externus* (quamquam non raró & ipſa vitioſa ſit, quod poſt meridiem audietis) *Confeſſio* paſſim, à Literatis præcipuè magna ſollicitudine curatur, ut ordinata, ut integra, ut perfecta ſit: de *dolore* verò aut nulla, aut exigua ſanè multis eſt cura: obiter percutitur pectus, & tota pænitentia *interna* uno ſuſpirio, *peccavi!* aut, *prô dolor!* frigidè ſignificatur! Atqui, ô boni, etſi magna *bonæ Confeſſionis*, multò major tamen eſſe debet *boni Doloris* cura. Nam ſi peccatum etiam grave per oblivionem, *non culpabilem tamen* confiteri omittis, *valet confeſſio*; quin & ſi loquelæ uſu jam deſtitutus per ſola ſigna in genere aliquid confitearis; *valet confeſſio*: verùm poſtquam etiam accuratiſſimè inſtituiſti examen, & ſolertiſſimè peccata omnia cum omnibus cir-

cumſtantiis deſcripſiſti, ſinceriſſiméque enarrâſti, ſi omiſiſti *actum veri Doloris*, etſi *per incuriam non voluntariam* omiſiſſes, *non valet Confeſſio.* Plus dico: ſi conatus es elicere dolorem verum: ſi judicas inſuper, quòd talem elicueris, ſi tamen reipſa talis non eſt, æque ùt baptiſmus *ſine vera aqua* eſt nullus, etſi tu veram eſſe putes, ſic *non valet Confeſſio.* Addo præterea, quòd cùm etiam verus eſt dolor, ſi tamen elicitus ſit primùm *poſt Abſolutionem*, rurſum confeſſio *nulla* ſit, & repeti debeat. Denique quando etiam valet confeſſio ad abſolutionem, *quia dolor eſt verus*, tamen non multum valet ad diuturnam emendationem, niſi *dolor ſit fervidus.* Apparet ergo, quanti momenti materiam in hac conſideratione tractemus. Certè operæ pretium eſt, conditiones actionis tam neceſſariæ diligenter expendere, & ego felices vos facio, ſi *veri* doloris, & *intenſi* frequens exercitium primum intra, deinde etiam extra Sacramenti uſum perſuaſero. In hunc finem explicationem cum adhortatione miſcebo, & *quid ſit dolor verus*, hoc primùm, *quid proſit dolor intenſus*, hoc deinde oſtendam. Incipio.

PARS II.

Quid ſit dolor verus de peccato, explicatur.

ENimverò nihil facilius eſt, quàm dicere: *Peccavi Domine! doleo!* At, quia dolor verus non eſt oris dolor, ſed cordis, neque in labiis

labiis, ſed in anima naſcitur, profectò plus debet agere cor, quàm verba declarant.

Itaque ante omnia *Dolor verus* debet eſſe *Dolor ſerius.* Ratio eſt, quia vera pœnitentia *Converſio* eſt, ſive *verſio animæ à peccato ad Deum*, qualis ut ſit, non ſolùm neceſſe eſt, *non affici actu ad peccatum*, aliàs quoties dormis, dici poſſes, fuiſſe converſus: ſed requiritur, ut *actu oderis* factum, quo offenſus eſt Deus, ſicut æger odit venenum, quod maligna deceptus dulcedine imprudens hauſit. Unde tale odium, ſi ſerium, & non ſimulatum eſt odium, extorquet nobis duo ſuſpiria: *Utinam non feciſſem! & deinceps non ultra faciam!* alterutrum horum ſi quis à ſe non impetret, falſa jactantia eſt, qua dicit, ſe peccatum odiſſe, aut de facto dolere.

Verùm quoniam qui dolor ſerius eſt, non propterea jam *verus eſt dolor*, ſed ille, qui a Deo *ad ſalutem* exigitur, cæteras etiam proprietates inveſtigemus. Theologi tres enumerant, voluntque, ut *dolor ſalubris* 1. ſit ſupernaturalis. 2. Sit (loquendo de peccatis mortalibus) univerſalis. 3. Sit appretiativè ſummus. Vide jam, quàm multi, etiam qui *ſeriò* de peccatis dolent, doleant ſine fructu. Dolet Officialis, & ſeriò dolet de perfidia, quàm in officii adminiſtratione commiſit, ſed quia ratio doloris eſt, quòd deprehenſus, Principem ſuum adversùm ſe irritaverit, *inutilis dolor* eſt, nam natura illum, non gratia peperit. Doles, & ſeriò doles de ſacrilegio, de ſtupro, de op-

preſſo innocente: ſed de furto, de fornicatione, de vindicta, qua inimicum es ultus, non doles: *inutilis dolor eſt!* non enim unum ſine altero mortale peccatum remittitur. Doles, aut seriò doles, quòd per iniquas uſuras, aut praxes aurum alienum tuum feceris: ſed ut ad reſtituendum te reſolveres, metus infamiæ, vel paupertatis abſterret: *inutilis dolor eſt!* nam ſuper alia omnia mala, horrendum eſt malum peccati. Itaque non omnis, qui dicit: *doleo Domine!* intrabit in Regnum cœlorum, ſed debet dolor eſſe *ſupernaturalis*, ex amore Dei procedens, & ab impulſu Spiritûs Sancti prognatus, uti Concilium Tridentinum definivit: debet eſſe *univerſalis*, ſeu qui includat verum propoſitum, & excludat omnem ad omne peccatum grave *actualem affectum*, omnémque voluntatem peccandi de cætero pro omni tempore, & omnibus circumſtantiis, *ſine omni exceptione*: & debet eſſe *ſummus*, non *quoad ſenſum quidem*, ſed *quoad voluntatem*, ita ut ſicut amas Deum ſuper omne bonum, ſic oderis peccatum ſuper omne malum. Atque ex his tribus conditionibus vel una ſi deſit dolori, *inutilis dolor eſt!* nec valet abſolutio ſic dolenti conceſſa: nimirum quia non eſt dignus, ut à Deo recipiatur in gratiam, niſi qui excidiſſe ſe ſeriò pœnitens, recipi *ſine omni exceptione*, aut *conditione* deſiderat, quocunque labore conſtet.

Videre

Videte igitur DD. Sodales, quàm ſeria *veri doloris* cura habenda ſit nobis, niſi ſpem ſalutis velimus in malis confeſſionibus ponere. Ne tamen, ſicut plurimi *per defectum peccant*, ſic alii peccant *per exceſſum*, advertite diligenter, quòd curam veri doloris haberi velim, *anxietatem* autem, & ſcrupulos planè nolim. Quid perpetuus, quo aliqui ſe, & Confeſſarios cruciant, gemitus prodeſt: *neſcio, an unquam verum dolorem habuerim?* ô anima bona! niſi Angelum de cœlo exſpectas, *certa eſſe* de vero dolore non potes: igitur *prudens judicium* ſufficiat, ut quieſcas. Unde judicem, inquis? *Tria ſigna* ſuppedito: ſi *ante Confeſſionem* animo ſic comparato fuiſti, ut promptus ad acceptandum quodvis remedium fueris, quod neceſſarium eſſe ſacer Judex putaverit: ſi *in Confeſſione* accusâſti te ſine diſſimulatione, ſine excuſationibus, & cum victoria magni pudoris: ſi *poſt Confeſſionem* ſtatim ſenſiſti dulcem animæ pacem, novam in Dei ſervitio alacritatem, ſtimulóſque ad faciendum progreſſum, & præcipuè ſi advertiſti certam quamdam ſuavitatem, quia tibi mors è veſtigio viſa fuit optabilis: gratulare tibi! *primum ſignum* effectus eſt gratiæ ſupernaturalis, quæ te ad efficacem ſui timorem, ſeu amorem Dei fortiter excitavit: alterum heroica cooperatio eſt, qua ſummam divinæ amicitiæ appretiationem, & univerſalem de illa poſthac ſedulò conſervanda reſolutionem monſtravi: *poſtremum* declarat

vim

vim gratiarum ſacramentalem: quæ, niſi Sacramentum *validè* ſuſcèpiſſes, & cum fructu, profectò ſe non moviſſent. Quid igitur trepidas? angantur, qui hæc ſigna in ſe non vident; tu crede ſecurè, inter eos eſſe te, de quibus Servator dixit: *Beati, qui lugent!* Matth. 5. Dolor tuus haud dubiè *verus eſt dolor*, quia ex his ſignis bene infers, quòd ſupernaturalis, quòd univerſalis, quòd appretiativè ſummus ſit. Quodſi efficere præterea coneris, ut ſit etiam *intenſivè magnus*, hoc eſt, fervidus, vehemens, ſenſibilis, aut ſaltem elicitus cum applicatione virium, & diligentia ſingulari, Deus bone, quàm bonam rem faceres! ſuadebo, ut velis: Superi dabunt, ut poſſis. Itaque DD. Sodales, poſtquam ad acuendam ſollicitudinem audîſtis, *quid ſit dolor verus*, jam ad inflammandum fervorem audite, *quid proſit dolor intenſus*, & hæc eſt Conſiderationis noſtræ

PARS II.

Quid ſit dolor intenſus, oſtenditur.

Dolor intenſus nobiliſſimum *Pœnitentiæ internæ* exercitium eſt, utinam & frequentiſſimum eſſet! . . . ô Peccatores, nihil ſuaderi vobis poteſt præ hoc exercitio, aut uberius ad fructum, aut ſuavius ad ſolatium. Quanquam quid peccatores compello, quaſi ad innocentes nihil pertineret hic ſermo? imò, ſi quæ adeſtis (quamquam timeo, ne paucæ ſitis con-

conſideratâ noſtri Sæculi corruptelâ) etiam ad vos hic ſermo pertinet, ô innocentes animæ, licèt de Pœnitentia, & quidem *de intenſa pœnitentia* agam. Dicite enim, ſcitisne, vos nunquam peccâſſe mortaliter? dicere debetis: *ſperamus!* ſcitisne jam ſatisfeciſſe vos Deo pro peccatis venialibus? dicere debetis: *fortaſſe!* ſcitisne indigere vos, ut creſcatis in gratia? dicere debetis: *ſcimus!* ſcitísne hoc inſuper, poſſe vos labi, ac relabi etiam in peccata gravia? dicere debetis: *timemus!* ... bene eſt, ergo ſatis locutus ſum vobis. Jam ſine diſcrimine omnibus loquor, omnibus, quam utile, ad fructum, quam jucundum ad ſolatium ſit *frequens doloris intenſi exercitium*, paucis oſtendo. Faciamus ab *Utilitate* initium.

Duos fructus recenſeo. 1mus eſt *Incrementum gratiæ tum ſanctificantis, tum Sacramentalis*, quippe quæ, etſi *ex opere operato*, ſeu ex vi Sacramenti à Chriſto inſtituti nobis tribuantur, tamen pro majore vel minùs intenſa & fervida diſpoſitione pœnitentis plus, aut minùs ſe effundunt. Scilicet voluit Deus, teſte S. Thomâ 3. p. q. 79. a. 6. ad 1. ut Sacramenta non operarentur *velut cauſæ liberæ*, ſed *velut cauſæ phyſicæ* ac naturales, quæ ſuos affectus minùs aut magis perfectè producunt, prout ſubjectum, in quo agunt, magis aut minùs diſpoſitum eſt. Sic homo, qui liberè operatur, mendico etiam minimè merenti poteſt largiter dare: at ignis, cùm cauſa phyſica ſit, non

po-

poteſt æquè fortiter in lignum, & in paleam ſuas vires exerere, quia lignum majoris, palea vix alicujus alendæ flammæ eſt capax. Igitur: qui ad Sacramentum Pœnitentiæ accedunt cum dolore *vero* quidem, ſed *remiſſo*, ac *tepido*, mirum non eſt, ſi parum roboris ex hoc pharmaco ſentiant. Accedant ſæpius, & cum ſingulari cura ad *doloris intentionem* accedant, tunc, quanta ſit divini Sanguinis ex hoc fonte manantis virtus, cum ſtupore & gaudio experientur Renovari prodigium videbunt, quo Naaman Syrus à fœda lepra ſanatus fuit. *Lavare ſepties in Jordane*, dixerat illi Eliſæus 4. Reg. 5. Vix denique perſuaſus à ſuis, & propè coactus, deſcendit in fluvium æger, & lavit ſe ſemel, ac obiter nempe, quia reluctans: quid putatis, ſi tunc ceſsâſſet, ſanúsne rediiſſet? Fortaſſe mundus à lepra, ſed perfectè ſanus utique non rediiſſet. Verùm poſtquam paulatim meliùs diſpoſitus repetiit balneum: cum fiducia diligentiáque languentis, crevit aquæ virtus per gradus, ac demum *reſtituta eſt caro ejus, ſicut caro pueri parvuli.* En! ita cum pœnitentibus agitur. Qui ad Confeſſionem accedit ſolo neceſſario dolore contentus, mundatur ille quidem, & accipit gratiam: ſed languor ſpiritûs, & virium imbecillitas hæret. Redi ſæpius, *intende dolorem!* ita diſpoſito Sacramentum unà cum morbo etiam morbi reliquias tollet, quaſi nunquam ægrotâſſes, ſic ſanaberis, non à peccato ſolùm, ſed & ab affectu ad

pec-

peccatum facillimè liber. Atque hinc ſequitur fructus alter *doloris intenſi*, multóque magis æſtimandus, nempe *firma in bono conſtantia*. Tot fiunt confeſſiones, & tam rara, quæ duret, emendatio notatur: quæ cauſa eſt mali tam gravis? & unde erit remedii ſpes? *cauſa* eſt defectus doloris: *remedium* doloris intenſio: dolor, qui ſufficit ad *Sacramenti valorem*, non ſufficit ad *effectum diuturnum*. Saulem vobis ante oculos ponite. Reprehenſus à Samuele, quòd contra Dei præceptum Regi Agag peperciſſet 1. Reg. 15. confeſſus eſt peccatum, & doluit. Sed frigidus dolor fuit: nam in alias continuò curas diſtractus, *peccavi*, dixit, *ſed nunc honora me!* quid poſtea? dolor ille fructum non habuit. Saul, quando perſequi ſe debuiſſet, incitatus invidiâ, & Dei à ſe offenſi celeriter oblitus, perſecutus eſt *Davidem*, peccata peccatis cumulavit, periit. Aliud de peccatoribus legimus, dolore vero, eoque *intenſo* pœnitentibus. Adam, David, Manaſſes, Petrus, Magdalena teſtes ſunt, quàm procul *à relapſu* ſe ponant, qui *de lapſu* non obiter doluerunt, præcipuè ſi doloris *vehementiæ* etiam acceſſit *frequentia*, de quibus ſatis fuit *ſemel confiteri*, non fuit ſatis, *ſemel dolere*.

Verùm non hìc finitur intenſi doloris laus, quòd *gratiam* augeat, & *conſtantiam* tribuat: geminis his *fructibus* geminum ſuperaddit *ſolatium* ex dulciſſima ſpe, *reatum geminum* & culpæ, & pœnæ, vel penitus, vel magna ex parte

eſſe

eſſe ſublatum. Frigidè dolens nunquam ſatis firmo de ſe judicio dicet: *Feci, quod potui: non dubito, quin ſatisfecerim Deo pro culpæ reatu!* at fervidè dolens, quia *quantum in ſe eſt*, feciſſe ſe ſcit, audit in corde ſuaviſſimum illud: *Remittuntur tibi peccata, vade in pace!* Luc. 7. Imò illud inſuper adhuc multò lætius verbum: Luc, 23. *Hodie mecum eris in paradiſo!* Communis eſt enim Theologorum ſententia, doloris intenſionem eò poſſe pertingere, ut cum reatu culpæ omnem ſimul reatum pœnæ extinguat. Quodſi quis de vehementia ſui doloris tantùm non præſumat, hoc tamen multò certiſſimum eſt, hoc dolendi conatu hominem optimè diſponi, ut indulgentias certius lucretur, & adverſa patientius ſuſtineat, & opera pœnitentiæ varia ultrò ſuſcipiat, atque ita, quas Juſtitiæ divinæ debet pro culpis pœnas, jam in hac vita aut omnes, aut ferè omnes exſolvat. Dicite, obſecro, DD. Sodales, quid vel ad fructum, vel ad ſolatium poteſtis ampliùs deſiderare?... Imo prurire animos credo in exercitii tam ſalubris amorem: tantùm labor aliquos terret, quem in eliciendo *dolore intenſo* impendendum eſſe, ac fortè fruſtra impenſum iri, quidam exiſtimant. Nempe *viri ſumus*, cogitatis, *quibus corda non ita facilè ùt fœminis, molliuntur in lacrymas.*

Audio graviſſimam objectionem, cui niſi reſpondeam ſolidè, fruſtra me video verba tam ſalutaria perdidiſſe. Igitur hoc primum ſcitote, cùm

cùm *doloris intenſi* curam ſuadeo, non me lacrymas petere. Quanquam ô quàm decoræ ſunt etiam viris lacrymæ, quas cauſa tam ſancta extorquet! donum lacrymarum ſingulare donum eſt, non niſi ſingularibus Sanctis à DEO datum, ùt Davidi, ùt Petro, ùt Auguſtino, ùt Ignatio de Loyola, & aliis, qui ſanè Viri muliebres non erant. Verùm ego, ùt dixi, has lacrymas non urgeo, neque enim ut fleant oculi, ſed ut cor fleat, deſidero. Deinde, ut, quod deſidero, ipſi à vobis obtineatis, labore non omnino nullo eſſe opus, lubens fateor. Sed difficultatum radices detego, quas, cùm videbitis, manu planè non admodùm violenta facilè evelletis.

Dico, tria eſſe, quæ paulò difficilius *exercitium doloris intenſi* faciunt. Primum eſt, *nimis bona de ſe exiſtimatio*: ſunt enim, qui putant, doloris gravioris nullam ſibi eſſe materiam. Alterum eſt *defectus gratiæ*: nam verus dolor, & magìs dolor intenſus donum eſt Spiritûs ſancti, ùt ſuprà docui ex Tridentino. Ultimum eſt *defectus applicationis*, quia in negotio ſalutis DEus ſine nobis nihil peragit.

Jam contra primum impedimentum facile remedium eſt. Suadeo, ut, quoties pro dolore eliciendo laboras, non, quam ab ultima confeſſione vixiſti, ſed *omnino univerſam* tibi vitam repræſentes. Ita, opinor, de inveniendа doloris materia non erit opus angi. Nihil de peccatis mortalibus dicam, quorum *vel*

unum dolori æterno ſufficit: ſi ſola venialia computas, quantum numerum hebdomas, quantum menſis, annus, luſtrum, quantum anni decem, viginti, triginta, quantum totius vitæ periodus conficiunt! & inter illa quàm multa ſunt patrata deliberatè, impudenter, ſtudiosè! quàm multa inſuper, de quibus meritò dubites, an non egreſſa ſint venialium fines, & ad inferni limina propè non advertentem admoverint. Inſpice *oculis fidei* ſic actæ vitæ ſpeculum (& tamen vita ſic acta adhuc honeſta vocatur!) inſpice, & videbis te, qualem te videt DEus, pallidum, horrentem macie, ulceribûs fœdîs obſitum, languore marcentem, & denique ſpirans cadaver! quid? deeſſe tibi doloris materia poteſt?

Materia ſanè non deeſt: ne gratia deſit (nam defectum gratiæ pro ſecundo impedimento attulimus) ne gratia deſit, *ora*: oratio, ne deſit, impetrat. Itaque, cùm te ad dolorem de peccatis eliciendum accingis, hoc primùm age, ut genu ad Crucem flexo, oculis, manibúsque ad Crucifixum elatis dicas cum Rege pœnitente: *Ciba me, Domine, pane lacrymarum, & potum da mihi in lacrymis, in menſura!* Pſ. 79. Converte te, & reſpice me illis oculis, quibûs reſpexiſti Petrum, & compuliſti, ut exiret de turba impiorum, & fleret amarè! tu ſanguinem in horto pro me fleviſti: per illum te agonem oro, *fac me verè tecum*

flere!

flere! ... gratiam tam neceſſariam, pro fine tam bono ſincerè roganti, bonum JEſum negaturum putatis? ... ſtulta opinio eſt de illo ſic opinari, qui, ut doloris gratiam nobis meretur, ipſe in mortem doluit.

Verùm, ùt monui, gratia ſine nobis non agit: cooperari debemus, & vires naturæ adjungere. *Applicationis defectus* in hoc negotio potiſſimus eſt. Plerique poſt luſtratam per examen conſcientiam preces aliquas, *quibùs dolor exprimitur*, obiter recitant, argumenta, *quibùs dolor incenditur*, vix aliquis ſeriò ſibi expendit. Non ita decet. Qui intenſi doloris fructibus gaudere deſiderat, *applicet memoriam* ad incitamenta doloris, ex timore, vel amore DEI, ùt audîſtis, petenda: *applicet intellectum*, & attentè ruminetur: ſic *voluntas* præ dolore irrugiet. Suppedito methodum ad facilem praxin conſiderationum, ex quibus dolor incenditur.

1. Cogita, anime mi, quid ſit vivere in ſtatu peccati mortalis, aut olim vixiſſe. DEum habes iratum tibi, & inimicum! DEum, non Principem, cujus effugere manus potes, DEum, qui te undique circumdat, inimicum habes. Jam infernales flammæ ſub pedibus crepitant, jam expediti carnifices expectant imperium, jam Divina Juſtitia ultricem gladium evaginavit: ùt primùm Miſericordia ſubtraxerit clypeum, quo tegit te, actum eſt: periiſti, & ardes! ... Non tremis? non do-

 les?

les? non veniam rogas? . . . en primum incitamentum doloris . . .

Deinde tolle te altiùs, & oculos cœlo fige, cœlo, unde omne malum exulat, ubi omne bonum exundat. Jus loci tam beati in baptiſmo datum eſt tibi: & quo momentô peccâſti graviter, eodem ipſo jus tantum periit. Prô! cùm decem florenos, aut viginti perdidiſti ludendo, non admittis ſolatium, & mille maledictis infelicem luſum proſcindis: nunc pro turpi voluptate, pro modico lucello perdidiſti jus ad cœlum! hoc cogita! . . . habes alterum incitamentum . . .

Sed rurſum aſſurge altiùs, & tuæ ingratitudinis dedecus tibi exprobra. Ecce! *DEus Pater eſt tibi:* ab ipſo vitam, victum, veſtitum, corpus, & animam habes. *DEus Redemptor eſt tibi:* en! quantô te pretiô emerit, hoc lacerum corpus, hæc membra cruore manantia, hoc pectus perfoſſum, hæc truculenta vulnera magnis vocibûs clamant. *DEus Salvator eſt tibi:* quòd natus ſis, & educatus catholicè, quòd tot bona faciendi occaſionibûs beatus, quòd ex tot pereundi periculis feliciter ereptus, quòd præ tot aliis fortè etiam minùs reis ad pœnitentiam ab interitu ſervatus, DEI beneficia ſunt: & tantis quid, niſi maleficia retribuiſti? nec pudet? . . . . hoc tertium incitamentum eſt.

Verùm adhuc altiùs jam erige te, & ex iis, quæ modò meditatus es, quantus ſit DEus, con-

concludе. *DEus creavit infernum*, & ad infernum tot Angelos, hominésque, ac tantos damnavit, quin ei quisquam poſſet reſiſtere: quanta eſt hæc *potentia!*... *DEus cœlum creavit*, & in illo tot Sanctorum myriades profusâ bonorum omnium abundantiâ æternùm alit: quantæ ſunt hæ *divitiæ!*... DEus curâ tam paterna ſe mihi impendit, vermi, pulveri, peccatori: *quàm comis eſt!*... Filium unicum, ut rigori juſtitiæ ſatisfieret, voluit crucifigi: *quàm ſanctus eſt!* Mihi, & aliis tot, tam fœda, tam enormia ſcelera toties, ac tam clementer remiſit: *quàm miſericors eſt!*.. Tam potens, tam dives, tam comis, tam ſanctus, tam miſericors Dominus, non omne ſervitium, omnem reverentiam, infinitum amorem meretur?... vel ipſi dæmones, ſi aſpicere DEum poſſent, cogentur diligere: *adeò pulcher eſt!* omnes paſſus, quos pro ipſo facis, omnes obolos, quos propter ipſum expendis, omnes lacrymulas, quas ipſius causâ profundis, ſollicitè numerat, ut remuneretur: *adeò liberalis eſt!* illa etiam bona opera, quæ à te facta eſſe ipſe non recordaris, DEus in noviſſimo die laudabit, & inter Angelorum, Sanctorúmque applauſus præmiô infinitô afficiet: *adeò fidelis eſt!* denique quidquid tu tibi in Domino cogitare boni, & optare potes, totum, & infinities ampliùs in DEO habes. Et fieri poſſit, ut tu non iraſcaris tuæ ſtultitiæ, & impietati? quòd Domino tam magno tam malè ſervie-

vieris, & DEum tam amabilem tam parùm amaveris!...

Imò, DD. Sodales, hæ, & ſimiles conſiderationes non poſſunt non dolorem accendere: applicatione quidem ſemper, nec ſemper tamen multo opus eſt tempore: quandoque tria verba brevi, ſed attenta ponderatione menti propoſita: *Ego, DEum, offendi!* quis? quem? quomodò? ſufficiunt, ut cor per oculos liqueſcat in lacrymas. O jucundæ, ô utiles lacrymæ! ô dolor bonus, *dolor intenſus de peccato!*

CONCLUSIO.

O Viri litterati, *nolite flere*, uti homines rudes flent, propter jacturam opum, propter mortem charorum, propter ærumnas vitæ: *doctè plangite*, clamat Auguſtinus, *doctè plangite!* & quid eſt doctè plangere? eſt *plangere de peccato!* nam aliæ lacrymæ omnes, etiam cùm juſtæ ſunt, *inutiles ſunt:* ſolæ lacrymæ pro peccato *fructum*, & *ſolatium* ferunt. Nemo proinde dolorem finiat cum confeſſione: *ſemel bene confeſſum eſſe*, ſufficit ad ſalutem: ſed *ſemel dolere*, neque ad animæ quietem, neque ad conſtantiam in bono propoſito ſufficit: propterea & *quid ſit dolor verus*, explicavi, ut de illo eſſetis *in uſu Sacramenti* magis ſolliciti: & *quid ſit dolor intenſus*, oſtendi, ut illius exercitium frequens etiam *extra Sacramentum* perſuaderem. Felices animæ, quibus perſuaſi! culpæ, & pœnæ venia, cum multiplici gratia,

&

Digitized by Google

& ſolatio veſtræ diligentiæ jucundiſſima merces eſt.... Tu verò, homo dure, cui nihil perſuaſi, qui adhuc contentus es doluiſſe ſemel, & tunc obiter, quíque modicum laborem horres, qui requiritur, ut *ſæpius ad intenſum dolorem* te excites, vide, quem videas hìc! ſi fleret imago hæc, accurreres, ſtuperes, gemeres, & triſte omen amaro fletu à te avertere laborares. Sed non flet imago: flevit autem ille, *cujus eſt imago hæc!* & cur flevit? reſpondet Auguſtinus: *ut omnes flere doceret!* vide DEum flentem pro peccatis hominis, & diſce flere pro tuis! niſi didiceris, malè metuo tibi! nam raró, & obiter dolentis ſemper *dubia* ſatisfactio eſt, amicitia cum DEO *frigida*, relapſus *facilis*: & denique, quid rem diſſimulo? durus eſt ſermo, ſed duro cordi conveniens! æquum eſt, bone JEſu, ut, qui tecum nunquam vult flere ad fructum, & ſolatium, veniat in locum, *ubi erit fletus*, ſine fructu, ſine ſolatio. Vos, DD. Sodales, jam ite domum, ubi hæc ſit una veſtra occupatio, donec redeatis, *flere*. Dixi, non lacrymas oculorum, ſed cordis peto: repetite audita, *Spiritum contribulatum* ſæpè DEO ſacrificate: DEus *cor contritum & humiliatum* non deſpiciens ſic conciliabitur, ut huic Sacro Triduo uberrimè benedicat. L. J. C.

(o)

C 4 EXER-

EXERCITIA
DIEI PRIMÆ.
POST MERIDIEM.
LAUDETUR JESUS CHRISTUS!
℟. IN ÆTERNUM.

SUppono, DD. Sodales, ſuppono, quòd horas omnes, quibus ex hoc loco abfuiſtis, domi ſolitarii egeritis in Exercitio *virtutis Pœnitentiæ*, hoc eſt, ſalutari luctu abſorpti, & intenſo cum dolore recogitantes, quæ manè de dolore audiviſtis. O felix triſtitia! ô beatos, qui ſic lugent! nam, certum eſt, *conſolabuntur*, Matth. 5.... Quando autem conſolabuntur? Reſpondeo: *quando confitebuntur*, Nam quia *in nova Lege* non ſufficit ad ſalutem *virtus Pœnitentiæ ſine Sacramento*, uti jam ante meridiem monui; hinc veri, & intenſi doloris effectus præcipuus eſt *perfecta Confeſſio*: Confeſſionis autem perfectæ fructus primus, *dulciſſimum ſecuræ conſcientiæ ſolatium*. Propterea poſt *Conſiderationem de Dolore*, opportunè utique inſtituetur ſermo *de Confeſſione*. Sit igitur

EXERCITIUM I.
CONSIDERATIO
De Sacramento Pœnitentiæ.

SEdeamus, & expendamus, *qualis ſit illa Confeſſio*, quam imperat *dolor intenſus*, & *qualis illa*, quæ ſequitur *dolorem remiſſum*. Intelligetis,

tis, quàm temerè quidam confidant in hoc principio: *Jam ſum confeſſus!* atque *ſi opus ſit*, confeſſione una generali emendare decernetis confeſſiones præteritas. Rem aggredior ex Typographorum exemplo, qui ad librorum finem tabellam ſolent addere in duas columnas diviſam, cum inſcriptione: *Menda emenda!* ſic ego primùm *Errores Confitentium* recenſebo, deinde *Modum corrigendi* oſtendam. Attendite.

PARS I.

Errores Confitentium.

Errores Confitentium* S. Bernardus hac ſententiâ comprehendit: *Aliorum Confeſſio*, inquit, *confuſio eſt, aliorum illuſio, aliorum offenſio, aliorum defenſio.* Singulos defectus videamus quàm malè ſint comiſſi ab aliis, ut *per exempla* faciliùs intelligamus, an non committantur à nobis.

Igitur primò *aliorum Confeſſio confuſio eſt.* Quorum? eorum nempe, qui omnia confundunt: non ſervant ordinem, non exponunt numerum, & ſpeciem, non explicant circumſtantias caſûs obſcuri, ac intricati: & poſt hæc omnia ægrè ferunt, ſi interroges, & reſponſum tamen, certámque reſolutionem dubiorum *ex ſtapede* exigunt. Feſtina lentè, mi bone, neque ita præcipita verba, quaſi *ſtudiò* intelligi nolles. *Repete!* verbum moleſtum eſt dicenti æquè, ac audienti, ſed neceſſarium

tamen, quando *Confeſſio confuſio* eſt. Confuſionis ejusmodi exemplum in Juda proditore habete. Pœnitentiâ ductus venit ad Sacerdotes, & breviſſimè obiter, perturbatè, *peccavi*, inquit, *tradens ſanguinem juſtum.* Matth. 27. Siccíne? hoc eſt confiteri ſcelus, quo ſceleſtius nullum in eam diem patratum fuerat? Diſſimulo graviſſimum errorem, quòd Judas Sacerdotibus in ſcelere *complicibus* confiteatur; hoc quæro, quis, *niſi complex*, qualitatem criminis ex hac confuſiſſima confeſſione intellexiſſet: *peccavi tradens ſanguinem juſtum?* Dic, inſane, quis eſt iſte juſtus ſanguis? quo modô tradidiſti? & quibus? & cur? grande diſcrimen eſt, Sanguinémne Divinum, an humanum profuſuris an abuſuris, per vim, an per fraudem, ex odio, an ex avaritia tradideris... Sed quid cum Juda rixamur? deſperantis illa confeſſio fuit, non pœnitentis. Nos, ſi ritè abſolvi cupimus, ſic evolvamus *ſpeciem facti*, ut ſacer Judex *caſum* plenè intelligat, & Confeſſio *verè confeſſio*, non confuſio ſit.

Verùm adhuc pejor, quia difficiliùs corrigibilis, aliorum eſt error, quorum *Confeſſio illuſio eſt.* Sic Ananias, & Sapphira, ùt legimus Actor. 5. fecerunt. Liberè DEO voverant Evangelicam paupertatem, & bonorum ſuorum pretium in comunem maſſam (ùt erant tunc Fidelibus omnia communia) ſe eſſe collaturos promiſerant. Poſteà voti pœnitentia

tia miſeros ſubiit. Ne tamen nihil facerent, partem pretii ex agro vendito collecti ad pedes Petri deponunt, partem alteram retinent ſibi. Petrus ſuperno lumine de fraude edoctus interrogat: tantíne, *nec pluris*, agrum vendiderint? affirmant ambo, tanti, nec pluris. Hem! ſtolidum mendacium! nam quo illuſiſſe ſe Apoſtolo crediderunt, *illuſerunt ſibi*, morte repentina uterque temeritatem luentes, qua, ùt Petrus exprobraverat, non hominibus, ſed Sancto Spiritui auſi erant mentiri. Hoc habetis, ô *viri illuſores*, qui aut partem ſcelerum ſacrilegè reticentes, aut ad interrogata ſubdolè, vel æquivocè reſpondentes, aut promiſſis inanibûs audientem demulcentes, ut credat, rem ſeriò agi, cùm reipſa emendationis propoſitum abſit, plauditis vobis, ſi à ſimplice Confeſſario abſolutionem obtinuiſtis? Abſolutio veſtra damnatio eſt: nam fefelliſtis Confeſſarium, *DEum* non fefelliſtis: deluſum *hac illuſione* ſuum Vicarium *DEus* vindicabit.

Idem habent, quod metuant, quorum *Confeſſio offenſio eſt*, ſeu qui facilè offenduntur, & omnem interrogationem, admonitionémque impatientiſſimè ferunt. Crederes de Caini progenie homines, adeò crudi ſunt. Interrogaverat DEus Cainum: *ubi eſt Abel frater tuus?* poterátne hominem amantiùs alloqui, & majore cum diſcretione ad confeſſionem pellicere? at ille interrogatione tam blanda

offen-

offenſus crudiſſimè reſpondit : *neſcio! num cuſtos fratris mei ſum ego?* DEus bone! quale cor eſt hominis, cujus tam crudum eſt os! Medicum corporis nemo vult mutum eſſe: cupimus, ut interroget, ut moneat, ut urgeat: idem ſi faciat Medicus animæ, iraſcimur, fugimus, averſamur! imò ſunt, qui *ſtudiose* ſibi requirunt Confeſſarium aut *ſimplicem*, aut *puſillanimem*, de quo certi ſint, quòd loqui vel neſciat, vel non audeat. Vah prudentiam! *pudori* veſtro medelam quæritis, *morbo* non quæritis! Qui ſapit, Confeſſarium ſeligit ſibi virum *ſapientem* juxta, & *fortem*, ſimilémque Chirurgo illi, qui ex proximo pago repentè vocatus ad Philippum II. Hiſpaniæ Regem gravi lapſu in venatione afflictum, cùm interrogaret Rex, an ſciret, cui eſſet venam ſecturus? reſpondit audacter: *Homini!* verbô docens, quàm *nullo diſcrimine* Chirurgus bonus agere cum ægris debeat, quos ſalvos cupit.

Sed denique illi etiam ſibi peſſimè nocent, quorum *Confeſſio defenſio eſt*, ſeu quorum hæc propè ſumma eſt cura, ut vel innocentes videantur, vel certè nocentes minùs, quàm ſunt. Propterea enim ſollicitè culpam ſuam excuſant, minuunt, in alios transferunt, ita, ut, quod mortale eſt crimen, ſæpè vix veniale appareat. A proto-Parentibus hoc vitium nobis hæret. Adam, *ubi es?* clamat DEus, quid feciſti? & Adam: *Mulier*, ait: *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi.*

medi, Gen 3. Itane? & quare tu hoc feciſti mulier? *Serpens*, reſpondet Eva: *Serpens decepit me, & comedi.* Ah! humilem confeſſionem DEus exigebat, ut poſſet ignoſcere: excuſatio inexcuſabile crimen fecit. Nempe, qui minuit culpam, oſtendit, minùs ſe, quàm debet, de culpa dolere.

Melioris, quàm quas huc uſque recenſui, quamquam necdum perfectæ Confeſſionis exemplum Achan reliquit, qui cùm diceret Joſue: *Da gloriam Domino DEO Iſraël, & confitere!* ſic accuſare ſe cœpit: *verè ego peccavi Domino DEO Jſrael & ſic, & ſic feci. Vidi enim inter ſpolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulámque auream quinquaginta ſiclorum, & concupiſcens abſtuli, & abſcondi in terra, contra medium tabernaculi mei, argentúmque foſſa humô operui*, Joſ. 7. En! hæc confeſſio nec eſt confuſio, nec offenſio, nec defenſio: *mera accuſatio eſt*, malum! quòd *ſera nimis violenta*, nam ſtupidus miles accuſare ſe de prohibita præda tamdiu diſtulit, donec deprehenſus per ſortes, latere ultra non potuit: atque hanc reor eſſe cauſam, quòd nec iſta Confeſſio *abſolutionem* meruerit.

Ut nos mereamur, non hanc ſolùm *procraſtinationem*, ſed cæteros quoque, quos in prima hujus Diſſertationis Parte recenſui, *Confitentium errores* aut vitemus, aut corrigamus. *Modum corrigendi* Pars II. oſtendet.

PARS

PARS II.

Modus corrigendi errores.

MEdicus ſapiens ante omnia id agit, ut morbi radicem inveniat, & materiam peccantem expellat. Ego omnium, quibûs Confeſſiones vitiantur, errorum cauſam arbitror eſſe unicam, *defectum intenſi doloris.* Certè æger, quem morbus acerbè vexat, neque obſcura mali ſui explicatione Medicum *confundit*, neque mentiendo *deludit*: & ſi quis aut ex monitis Archiatri facilè *offenditur*, aut contra remedia neceſſaria ſe *defendit*, ac proteſtatur, aut denique medicinæ uſum *procraſtinat*, profectò palàm facit, ſe ex morbo dolores non valde graves ſentire. Itaque *Modum corrigendi* omnes *Confitentium errores* verbô unicô comprehendo: *Dole!*

Dole, & Confeſſio tua non erit confuſio: confiteberis clarè, ac ordinatè, quia non fugies *laborem Examinis.* Neceſſarius eſt in examine *aliquis* labor: ratiò docet, quia examinare ſe eſt, in ſe *inquirere*: ſed ſufficit *modicus* labor, quia nemo Theologorum ita rigidus eſt, ut requirat majorem, quam qualem in quolibet gravioris momenti negotio adhibere ſolemus; aut qualem e. g. prudens œconomus impendit, cùm ad reddendam de acceptis, & expenſis rationem ab hero citatur. Itaque ſi facienda eſt *Confeſſio generalis*, ſingulas, quas vixiſti, *ætates* expendes. Si *ad particularem* te accingis,

con-

conſidera, in quibus *locis*, cum quibus *perſonis*, quæ *negotia* ab ultima confeſſione tractaveris. Sic *intelligenti Decalogum, ſtatúsque, & officii ſui obligationes non ignoranti*, difficilis eſſe labor non poteſt, computare peccata, numerúmque, ac ſpecies *ordinatè* exponere. Quòd ſi tantilli etiam laboris tædium ſubit, ad dolorem te incita: *dolor moleſtiam ſpernet*.....

Dole, & Confeſſio tua non erit illuſio: confiteberis integrè, & nihil tacebis, nihil negabis, nihil finges. Scio, quàm difficilis ſit *victoria pudoris*, maxíme viris Nobilibus, ac litteratis. Propterea ſuadent aliqui, ut, quibus *nimis grave eſt* eloqui, ſcribant peccata ſua (nempe littera non erubeſcit) & poſtquàm ea legerit Confeſſarius, ſubjungant: *accuſo me de his, quæ hic ſcripſi*. Sapiens, ac utile conſilium eſt, ſed non facilè uſurpandum, & minimè neceſſarium intensè dolenti: *dolor pudorem vincet*....

Dole, & Confeſſio tua non erit offenſio: confiteberis cum humillima ſubmiſſione, & patienter feres Judicem, etiam ſine diſcretione te judicantem. Non probo *rigidos* Judices, qui *compati* pœnitentibus neſciunt, eò quòd aut indole ſint nimis auſtera, aut de diſpoſitionis defectu nimis temerè ſuſpicaces: ſed neque *mutos* probo, qui, *ut proſint*, parùm anxii ſunt, & tantùm ne *diſpliceant*, cavent, ideóque neque *integritatem Confeſſionis* urgent, etiam quando ſilet pœnitens peccata gravia, quorum illum

illum *publica fama* accuſat: neque *doloris, ac propoſiti ſinceritatem* explorant, etiam cùm vident reum ſceleris ſui gravitatem leviſſimè apprehendere: neque demum *ſatisfactionis neceſſitatem* explicant, etiam cùm certiſſima eſt. *A tali diſcretione libera me Domine!...* Ego vobis Confeſſarium opto, qualem narratur Imperator Carolus V. habuiſſe. Ille, poſtquàm de quotidianis ſe erroribus accuſantem Cæſarem audivit, nihil cogitantem de Peccatis *omiſſionum*, quæ in cura officii tam gravis heu nimis frequentia ſunt, fortiter juxta, ac reverenter (nempe ex prudenti, ùt ſuppono, ſuſpicione negligentiæ, quam in reo adverterat) admonuit, inquiens: *confeſſus es peccata Caroli: confitere jam peccata Cæſaris...* Quòdſi incideris in hominem ardentem zelô, ſed *non ſecundùm ſcientiam*, oblatam tibi à DEO exercendæ humilitatis occaſionem arripies libenter, ſi intenſo de peccatis dolore etiam ipſe ardebis: *dolor patientiam dabit....*

Dole, & Confeſſio tua non erit defenſio: confiteberis ſine excuſatione, neque, ut appareas innocentior, quàm es, laborabis, imprudenter cupidus eximi per Confeſſarium ab obligationibus, quas DEus impoſuit. Liber eſſe deſideras à vinculo voti, à debito reſtitutionis, à neceſſitate fugiendæ occaſionis, bene habet: gratulor abſolutionem, ſi modò *ſpecimen facti* ſincerè narraveris. Si verò tuis rebus diffidens, non veritatem, ſed ſub ſpecie veritatis *falla-*

Digitized by Google

fallaciam in tui defenſionem vocaveris: dum abſolvi à peccatis te putas, involveris magis. Dic ſcapham ſcapham, , nihilque diſſimulans expecta ſententiam, quamcunque jus, & æquitas ferent. Trepidare cor ſentis? dolore firma: *dolor fortitudinem pariet*... Denique

Dole, & non modo bona, ſed etiam celeris erit Confeſſio tua. Non procraſtinabis, ùt plurimi, qui gravium rei criminum, dies, hebdomadas, menſes, annos integros *ſine ſenſu* circumeunt, quaſi *non DEum vivum*, ſed ligneum quemdam Jovem, armatum picto fulmine, offendiſſent. Ah! *dolor verus*, inimicitiam cum Divino Numine tam diuturnam non ſuſtinet. Opportunè, importunè, obſecrat, urget, clamat: *confitere!* non ad Paſcha, non ad indulgentias Jubilæi, non ad proximum ſolemne Feſtum expecta, ſed, ſi fieri poteſt, *hodie confitere!* Quis enim, ſi verè dolet offenſum à ſe Principem eſſe, hodiéque impetrandæ veniæ occaſionem habet, quis ſapiens dicit: *cras reconciliabor!* Abſit! *dolor talem moram non patitur*...

Hem! DD. Sodales, tanti eſt *dolere*, ita tanti, ut dolor verus, ſi ſit intenſus, omnes, qui *in Sacramento pœnitentiæ* committi ſolent, defectus planè impediat. Quando verò doloris cura aut nulla, aut exigua eſt, non ſolùm metuo, ne diu nimis differatur Confeſſio, non ſine gravi animæ detrimento, ſed &, ne, cùm fit, malè fiat, nec abſolutionem obtineat. Ite

jam, & ſolemne illud axioma jactate: *jam ſum confeſſus!* vereor ego, ne veſtras Confeſſiones iterum confiteri debeatis. Certè plenum malis confeſſionibûs eſſe Infernum S. Thereſia vidit, non quòd adeò frequens ſit ſacrilegi ſilentii crimen, ſed quòd inter centum confitentes ſæpe vix *ſuper uno pœnitente* gaudium fieri in Cœlo queat; propterea, quòd plerorumque dolor aut non ſit ſerius, *atque adeò nullus*, aut non ſit intenſus, *atque adeò ſine fructu durante*. Hinc enim originem illa perpetua viciſſitudo habet, qua ſibi aſſiduè ſuccedunt eorundem peccatorum repetitio, & confeſſio, confeſſio, & repetitio. Quanquam quid *confeſſionem obiter dolentium* Confeſſionem appello? confuſio, illuſio, offenſio, vel defenſio eſt, *non accuſatio*, non Confeſſio. Itaque credite mihi, cùm accincti ſtabimus ad apertam à morte portam in domum æternitatis, non de ulla re alia *dolebimus* magìs acerbè, quàm *de Confeſſionibus peractis ſine bono dolore.*

Verùm *bonus dolor*, ut manè docui, non poteſt à *ſolius* humanæ voluntatis viribus effici: *à gratia juvari debemus.* Debet *dolor eſſe ſupernaturalis* tum quoad motivum *ex quo*, tum quoad principium, *à quo* procedit. Itaque *donum eſt Spiritûs Sancti*, qui ante Confeſſionem diligenter orandus erit, ſicut *à puero* didicimus. Formam ſolidæ orationis dabo, ad normam libelli ſupplicis à Rege pœnitente compoſitam in quinquageſimo Pſalmo, incipit:

Mi-

Miſerere mei DEus. *Surgamus*, & ad impetrandum donum extra Sacramentum tam utile, intra Sacramentum tam neceſſarium humiliter illam offeramus.

EXERCITIUM II.

Oratio vocalis.

TRes partes Supplicatio habet. Prima poſtulationem miſericordiæ pro exoranda venia, ſecunda petitionem gratiarum pro perfecta pœnitentia, tertia promiſſionem ſatisfactionis pro commiſſis peccatis complectitur. Univerſim Pſalmus totus vel dolorem perfectum jam exprimit, vel ad impetrandum diſponit. Flectamus! oremus lentè, attentè ferventer corde, ac ore!...

PSALMI QUINQUAGESIMI

PARS I.

Poſtulatio Miſericordiæ.

M**Iſerere mei DEus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam, & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam!* *Magnus Peccator magnam invocet Miſericordiam: multa peccata multis indigent miſerationibus!...* ***Miſerere mei DEus! dele iniquitatem meam!... *neque obiter dele, ſed perfectam miſericordiam fac,* ***& amplius lava me***

ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me! lava etiam à peccati reliquiis, peſſimiſque effectibus! munda etiam ab ipſa ad peccatum inclinatione, affectu, ac ſenſu! ...

Hoc exordium, & hæc propoſitio eſt Davidicæ ſupplicationis: poſtulat miſericordiam, & qualem velit, explicat. Nunc, ut ad audiendas preces promoveat DEum, *tria argumenta* ſubjungit. Primum à confeſſione peccati. Secundum ab infirmitate naturæ. Tertium à meritis promiſſi Salvatoris accepit. Utamur iisdem, & pergamus orare:

Miſerere mei DEus! Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper! intellige, quàm grave ſit malum, quod feci. Nempe Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci! hæ duæ circumſtantiæ ſic aggravant ſcelus, ut juſtificeris in ſermonibus tuis, quamcunque contra me ſententiam dixeris, & vincas, cùm judicâris me, quidquid pro mea excuſatione obtendero! ... Miſerere! ...

Miſerere mei DEus! Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea! ego agnoſco, quàm malus ſim: tu cogita, quàm infirmus ſim! concepta mecum, & nata eſt, & crevit cæcitas in intellectu

lectu, levitas in voluntate, violentia in appetitu! Miſerere! ...

Miſerere mei DEus! Ecce enim veritatem dilexiſti in omnibus promiſſis, quæ facis. Jam verò conſilia tam multis aliis incerta, & occulta Sapientiæ tuæ manifeſtâſti mihi, intérque illa revelâſti illud omnium gratioſiſſimum Decretum de miſſione Filii tui in ſalutem peccatorum. Hoc recordare, & certus ſum: Aſperges me hyſſopô Sanguini Salvatoris immerſo, & mundabor! in eodem lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. O Spes beata! tunc enim auditui meo dabis gaudium, & lætitiam! dices animæ meæ: dimiſſa ſunt tibi peccata tua! audiam, & exultabunt oſſa humiliata, robúrque cordis à ſcelerum conſcientia factum reſtituetur. Miſerere...

PARS II.

Petitio gratiarum.

POſt argumenta, quibus in DEO miſerationem ſui excitare David allaboravit, jam in parte ſecunda ſuæ Supplicationis *preces* affert, ex quarum materia diſcimus, qua *comparatione animi* ſiſtere ſe DEO Pœnitens debeat, cui gratia veri doloris verè eſt cordi. Quatuor, quos in ſe experiri cupit, hujus gratiæ *effectus* nominat Rex, qui nempe pœnitentiæ prorſus per-

fectæ infallibilia ſigna ſunt. Primus eſt, *deſiderium liberationis à culpa* ſine ulla cura de pœna. Secundus, præter odium peccati *odium materiæ* inſuper, circa quam verſatur peccatum, id quod opus eſt *Spiritûs recti*. Tertius, cura, & metus pro perſeverantia in bono, quæ gratuitum donum eſt *Spiritûs Sancti*. Denique quartus, animi dulcis quies, & ad actiones heroicas fortiſſima incitatio, quæ efficitur *à Spiritu principali*. Eja! hoc animi ſenſu proſequamur ſenſa Davidis, dicamus:

Miſerere mei DEus! Averte faciem tuam à peccatis meis! & omnes iniquitates meas dele! *culpam deteſtor! pœnam non deprecor!* ***Miſerere!.. dele!... Poſteà cor mundum crea in me DEus, & Spiritum rectum innova in viſceribus meis,*** *Spiritum, qualem inſpirâſti in faciem hominis ante peccatum, Spiritum ſentientem rectè, & ſuis affectibus dominantem!... hoc niſi facias, nunquam integrè peccatum delebitur: Et quid? ſi recidam?.. metuo me, quia novi me!.. propterea oro,* ***ne projicias me à facie tua,*** *nec ſinas relabi!* ***& Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me,*** *Spiritum ſanctum, ſine quo perſeverare mecum ſpiritus rectus non poteſt!... Adde potiùs ſupremam gratiam:* ***Redde mihi lætitiam Salutaris tui,*** *lætitiam ex ſolida ſpe ſalutis conceptam:* ***& Spiritu principali confirma me,*** *ſpiritu,*

Spiritu, qui me animet, ut tantùm contendam eminere inter Sanctos, quantùm eminent Principes ſupra plebem. Ita, Domine, ita miſerere! iniquitates dele! Spiritum rectum innova! Sanctum ne auferas! Principali confirma me!...

P A R S III.

Promiſſio Satisfactionis.

UT precibus pondus addat Regius Pœnitens, demonſtrétque ſe agere *ſeriò*, jam in tertia parte libelli ſui explicat, quomodò uti obtentis gratiis velit *ad ſatisfactionem* debitam pro peccatis præſtandam. Debebat autem triplicem ſatisfactionem, *Populo* propter ſcandalum, *Uriæ* propter effuſum ſanguinem, *DEO* propter ſanctæ legis contemptum: itaque ut ſatisfaciat pro ſcandalo, promittit *pœnitentiam publicam*: ùt pro homicidio, offert ſe *ad omne pœnæ genus*, quod Divina Juſtitia decreverit: ùt pro adulterio, promittit *exercitium doloris perpetui*. O ſpeculum pœnitentium ſolidum, purum, clariſſimum! intueamur, admiremur!... imò imitemur, & ſimilia DEO offeramus promiſſa! dicamus iterum: *Miſerere mei DEus! & quas poſtulavi à te gratias, triplicem nempe Spiritum rectum, ſanctum, principalem elargire! tunc verbô, exemplóque Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur*

*tur, publicæ meæ converſionis experientiâ, aut famâ potenter commoti! ... **Miſerere, & libera me de ſanguinibus DEus, DEus ſalutis meæ!** Vox ſanguinis JEſu mei clamat contra me! reus ſum mortis tantæ! ut ceſſet clamare Divinus cruor: ulciſcere, obſecro, ſacrilegum facinus! ulciſcere, **& exaltabit lingua mea Juſtitiam tuam** vindicativam! inter ærumnas quasvis profitebor **cum exultatione**, quòd minus, quàm meruerim, me plectas! ... **Miſerere denique! ſic Domine, ſic labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam**, laudem tibi propriam, laudem patientiæ, manſuetudinis, miſericordiæ tuæ! laudabo te, & laudando compenſabo audaciam, qua legem tuam contempſi! laudabo te, quoniam **ſi voluiſſes Sacrificium** aliud, **dediſſem utique**: ſed ſcio, etiam **holocauſtis non delectaberis**, niſi quatenus ſigna ſunt animi te laudantis. Porrò optimum laudis genus in peccatore exercitium doloris eſt, gratiſſimúmque **Sacrificium DEO Spiritus contribulatus!** huic igitur Exercitio me poſthac penitus dedam, túque, ſcio, tu **cor contritum, & humiliatum, DEus, non deſpicies!** ...*

Tandem Oratorum more, ſupplicationem ſuam David brevì epilogô claudit, & urgens preces rogat, ut, ſi hactenus dicta DEum ad miſerationem non moveant, ſaltem miſerea-

tur

tur Regis propter populum Sionis, cui ſemper bene voluerit; converſionem enim ſuam ad bonam omnium ædificationem ſervituram eſſe, qui intra muros Hieroſolymæ viverent, atque inde futurum, ut omnes nova alacritate Sacrificia offerrent ex juſtitia debita, nempe oblationes, holocauſta, & vitulos. Epilogus eſt Viris nobilibus, ac litteratis plane unicè proprius, quia vix alia, quàm talium, perfecta converſio in commune bonum, & *publicam ædificationem* redundat. Igitur concludamus & nos hanc orationem per idem ſuſpirium! dicamus:

Miſerere! & ſi, quæ attulimus, non ſufficiunt ad exorandam nobis veri doloris gratiam, ſaltem ***Benignè fac, Domine, in bona voluntate tua Sion!*** *benefac univerſæ Bavariæ, cui benevolè te affectum eſſe quis neſcit? benefac,* ***ut ædificentur muri Jeruſalem,*** *& incolæ Monacenſes inprimis, noſtræ converſionis exemplô incitati, ſuæ ſimiliter reformationi manum admoveant. Tunc, ô* ***tunc acceptabis ſacrificium Juſtitiæ,*** *quale juſtiſſimè exigis, nempe* ***oblationes*** *novi fervoris, &, quod tibi non poterit non placere ſummoperè,* ***tunc imponent ſuper altare tuum vitulos,*** *neque ſola ſenilis, & virilis ætas, ſed etiam* ***Juvenilis*** *tuo ſe ſervitio alacriter immolabit. Itaque miſerere! &*

Reſpice, quæſumus, Domine, ſuper hanc familiam tuam, pro qua D. N. J. C. non dubitavit manibus tradi nocentium, & Crucis ſubire tormentum! ... miſerere! ...

Oravimus! ſurgamus, ſedeamus! ... Oravimus pro impetranda perfecti doloris gratia, optóque, ut ſæpe *ſic* ſive Pſalmum quinquageſimum, ſive alias preces oremus! oravimus; factum bene, ſed non factum ſatis. *Qui creavit nos ſine nobis, non ſalvabit nos ſine nobis.* Exoratus DEus faciet, quod neceſſe eſt, ſi tamen faciamus nos, quod poſſibile eſt. Quid poſſumus autem? diſponere cor poſſumus, ut gratia *doloris* ſit efficax. Quomodò diſponemus? *meditando.* Meditemur ergo, & gratiæ, quam ſperamus, *toto conatu* cooperemur. Idonea ad finem, quem intendimus ad urgendum dolorem, *Materia* Meditationis erit de gravitate peccati. *Puncta tria* Auguſtinus proponit, cujus hæc ſententia eſt: *Quis explicare poterit, quanta malitia ſit, non obedire primò in re facili. Secundò tantæ Majeſtatis imperio. Tertiò tanto terrentis ſupplicio!* ſequetur, ùt ſpero, *fructus*, in innocentibus ferventiſſimus horror, in reis intenſiſſimus dolor. Surgamus! ... componamus corpus, & animum ad reverentiam; nam, DD. Sodales, *DEus nos videt*, magnus ille DEus, quem fortè multis, magniſque peccatis offendimus, nunc verò cupimus placare. Ad hunc ego DEum converſus, per D. N. J. C. ſanguinem

nem oro: Domine, qui præcepiſti Iſaiæ tuo: *Quaſi tubâ exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum!* imò, qui Filium tuum unigenitum miſiſti, ut præco pœnitentiæ eſſet, da voci meæ virtutem, ut inſtar tonitrui aures peccatorum percellat, atque, quod noviſſimâ tubâ faciet, ipſa ſcelerum ſepulchra diſrumpat, & ſciſſis petris cordium, malè mortuos vocet ad vitam bonam! Juvate hæc pia vota, DD. Sodales, & dicite: *Veni Creator Spiritus!*

EXERCITIUM III.

MEDITATIO

De Gravitate Peccati.

P*Ræludium* 1*mum.* Imaginetur ſibi, qui reus eſt, ſtare ſe in conſpectu Cœli, unde ipſum omnes Sancti fulgurantibûs oculis, vultúque cum indignatione averſo, & rugis exaſperato intueantur, nempe ut inimicum DEI, quem ipſi amant! ...

Præludium 2*dum.* Ex deſiderio ſentiendi dolorem efficacem, & *intenſum* de peccatis, cujus naturam, & fructum multiplicem hodie explicavi, dicamus cum Pſalmiſta: *Cibabis nos,* Domine, *pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis!* Pſ. 79. Sedeamus.

PUN-

PUNCTUM I.

Quis explicare poterit, quanta malitia ſit, non obedire in re facili?

E*Xercitium Memoriæ.* Si DEus præcepta difficilia impoſuiſſet, non mirarer, reperiri tot rebelles, qui excuſsô ferociter jugô, impiè furioſi exclamant: *Neſcio Dominum!* Verùm *non obedire in re facili*, inexcuſabilis malitia eſt. Silete blaſphemæ linguæ, impudenter mentiri auſæ, non eſſe poſſibile, ut homo Divinis Mandatis debitam obedientiam præſtet! aliud dilectus Diſcipulus loquitur: 1. Jo. 5. *Mandata ejus gravia non ſunt!* aliud ipſe Magiſter, cujus verba, *verba vitæ æternæ* ſunt, teſtatur: *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve!* Matth. 11.

Exercitium Intellectûs. O verè *onus leve, jugum ſuave*, ſive *præcepta ipſa* conſideres nobis impoſita. *Ne verearis usque ad mortem juſtificari*, monet Eccleſiaſticus cap. 18. *Quoniam merces DEI manet in æternum!* advertite, DD. Sodales, breviſſimi laboris merces promiſſa nobis, non eſt merces ruſtici, civis, Dynaſtæ, Regis: *merces DEI* eſt, merces Domini infinitè potentis, infinitè divitis, infinitè liberalis! imò, quid dico? *Ego ero merces tua*, dicit DEus Abrahamo Gen. 15. Audite hoc filii Abrahæ! DEus, DEus ter Optimus Maximus merces veſtra erit, & in Cœlo ſic ſerviet vobis, ſicut

ſicut vos ipſi ſervîſtis in terra : *Tranſiens miniſtrabit illis!* obſtupeſcite ſupremæ Dignitatis dignationem! *miniſtrabit* cœleſtis Pater, & totam Omnipotentiam in veſtræ beatitudinis perfectionem impendet! *miniſtrabit* Filius, & omnes ſuæ Sapientiæ vires exhauriet, ut veſtris deſideriis ſatisfiat! *miniſtrabit* Spiritus Sanctus, & univerſas ſuæ Bonitatis divitias effundet in vos, atque ita tota propter vos ſe Trinitas occupabit, neque per annum ſolùm, aut per ſæculum, ſed in æternum, *in æternum*, ſine modo, ſine fine! Quid? éſtne imaginabilis obligatio aliqua, quæ in comparatione *tantæ mercedis* Viro ſapienti difficilis videatur?... Ego autem dico vobis, mandata DEI non modò non eſſe difficilia, ſi conferantur cum præmio obedituris promiſſo, ſed facilè etiam ſervari poſſe, ſi merces omnino nulla ſperari poſſet. Ne veritatis hujus certitudo cuiquam obſcura ſit, agite familiariùs paululùm, & abſque contentione colloquamur. Inſpicere ipſas Decalogi *tabulas* juvat. Quid habet *prima?* Imperat, DEum unum agnoſcere *corde*, honorare *ore*, & ipſo *opere* ſuîs temporibûs colere. Superi! quantillum onus! Profectò nihil omnino gravius, quàm ipſa ratio impoſuiſſet, vel ſi lex ſcripta non eſſet ulla. At *ſecunda* fortaſſe tabula majores moleſtias loquitur? Audite compendium: vult, ut nemo velit inferre damnum alteri in bonis ſuis, ſive corporis, ſive animæ, ſive fortunæ, ſive ho-

honoris ſint: & præthereà,ut quisque obſervet, quod ſtatus, & conditio exigit, ſubditus obedientiam, Superior vigilantiam. Prô! Jugum intolerabile! ... imò, quod etiam Ethnici, quibus paulò honeſtior educatio obtigit, libenter ferunt. Sed accedunt Præceptis Decalogi *Præcepta Eccleſiæ!* Quid tum? multa ſunt hominum millia, qui Eccleſiæ leges à puero ſervârunt, quin de moleſtia quapiam quererentur, adeò ab illis nulla, certè vix ulla ſentitur: aut ſi tu ſingularem aliquam ex cauſis ſingularibus ſentis, *loquere!* libenter bona Mater te audit, tecúmque diſpenſat.... Itaque huc demum, ſi ſpectes *materiam* legum, tota, quæ nobis incumbit, reducitur obligatio: 1. *Vive vitam hominis, non vitam belluæ!* hæc eſt ſynopſis Decalogi. 2. *Vive vitam Chriſtiani, non vitam Ethnici!* hic finis eſt præceptorum Eccleſiæ. Dicite: potuítne DEus *minus* nobis imperare? dicite: potuítne?...

Exercitium Voluntatis. Audio murmurantem: Præcepta equidem in ſe haud adeò difficilia ſunt; at nempe *infirma* caro eſt, & *nequam* diabolus: hinc illæ lacrymæ! ... Vah! lamentum muliebre! neque enim miſerationem hæc excuſatio, ſed indignationem meretur. *Infirma caro eſt!* quis negat hoc? ſed vitrum quantumvis fragile, ut per annos complures ſerves integrum, *quantilla*, ô Cœlites, ſufficit cura! non, quia infirma caro eſt, ſed quia tu incurius, quia petulans, quia temera-

rarius es, hinc, *hinc illæ lacrymæ*, & tot peccata! ... *Diabolus nequam eſt!* etiam fateor. Adde nequitiæ ſævitiem inſuper: quid deinde? denique, Auguſtino monente, *canis eſt à Chriſto ligatus*, qui ſive blandiatur, ſive latret, *mordere non poteſt*, *niſi accedentem* illiciat, terreat! Contemne! præteri, quaſi nihil adverteres, & viciſti! quid? talis tibi victoria videri difficilis poteſt? & ita difficilis, ut nec æterni præmii ſpes jucundam qualemcunque pugnæ moleſtiam faciat? prô! ignaviæ dedecus! nam, quis patienter ferat hoc malum peſſimum? *pro modica præbenda*, meritò queror cum devoto Kempenſi: *pro modica præbenda longa via curritur*, ſudatur, algetur, fametur, ſititur, laboratur ad mortem, & pro anima, pro Cœlo, pro DEO vix, ac ne vix quidem *pes à terra levatur!* Dico Mercatori: *Vade* ad Indos! ſpes eſt reducturum te navem onuſtam mercibûs pretioſis, ex quibus ingens lucrum referes: *& vadit!* non mœrens uxor, non flentes liberi, non amor patriæ retinent, *vadit*, ſuáque omnia, & ſeipſum fragili cymbæ committit, nihil aut furentium ventorum minas, aut fluctuum in montium ſpeciem intumeſcentium horrendam rabiem extimeſcens. Dico Venatori: *Vade* in ſylvam! ſpes eſt fore, ut, qui viſus eſt ibi, eximiæ magnitudinis cervus incidat in caſſes tibi: *& vadit*, eluctatur per aſpera rupium, inacceſſos calles perambulat, per præcipitia reptat, nec nives ſentit, nec

plu-

pluvias, ater panis eſt cibus, potum fœtens lacuna præbet, lectum nudiſſima humus. Dico Militi: *Vade* in prælium! ſpes eſt victoriæ, & ex victoria prædæ, gloriæ, promotionis: *& vadit* in medias mortes, quas cum horribili ſtrepitu reboantia tormenta evomunt, & plumbeæ glandes undequaque circumferunt, & mille enſes ferociſſimo ſplendore fulgurantes intentant … Sic eſt! ſpes modicæ præbendæ labores adeò difficiles, ac horridos jucundos reddit, clamatur: *Laboremus! patiamur! duremus! laboris, patientiæ, conſtantiæ præmium eſt lucrum, voluptas, honor!* quale lucrum? theſauri, quem tinea corrumpit! qualis voluptas? cervô fugacior! qualis honor? una adulantium acclamatio: *Vivat!* aut fortè novus titulus ſine vitulo! … Ergo, ergo (audite DD. Sodales, concluſionem, quam infero ex his præmiſſis evidenter conſequentem) ergo *inexcuſabilis es, ô homo omnis, qui peccas!* imò inſania inſaniſſima eſt, non obedire DEO *in re facili*, pro tanta mercede! Imò erravi! excuſo te, ſi inſanum appello, dicere: *nimis difficilia ſunt mandata DEI!* non eſt error *judicii*, ſed voluntatis rebellionem molientis blaſphemum mendacium eſt. Ecce enim dicit mundus, aut diabolus: *Dabo tibi pomum, ſi cadens adoraveris me!* & cadis ſubmiſſo faſtu, adoras, expectas nutum, exequeris præcepta moleſtiſſima, difficillima: dicit DEus: *Dabo tibi Paradiſum, ſi mihi ſervieris,* tuleriſque aliquam

quam

Digitized by Google

quamdiu jugum ſuave, & onus leve, cui ſupportando auxilium abundè per gratiam feram! & tu lamentaris, ſupra vires gravari quereris, *erectóque collo, ac pingui cervice armatus*, Job. 15. contra Omnipotentiam inſurgis, clamans: *Non ſerviam! non ſerviam!* Infelix! cui loqueris? ita ſibi crudè loquentem ſervum, aut filium neque ruſticus ferret, & ferat DEUS? ſcis tu, quis DEUS ſit? ... DD. Sodales, ſinite, hoc ipſum paulò latiùs jam explicem vobis, *Quis DEUS ſit.* Quam meritò Auguſtinus exclamet: *Quis explicare poterit, quanta malitia ſit, non obedire in re facili?* Vidimus, & vidimus, eſſe malitiam *inexcuſabilem*, hoc erat Meditationis Punctum primum. Videbimus nunc, quanta malitia ſit non obedire tantæ Majeſtatis imperio, & videbimus malitiam eſſe *intolerabilem*, & hoc erit

PUNCTUM II.

Quis explicare poterit, quanta malitia ſit, non obedire tantæ Majeſtatis Imperio?

EXercitium Memoriæ. Hem verò, quid dixi? dixi explicaturum me vobis: *Quis DEUS ſit?* incauta promiſſo fuit. Ah! ſi ego explicare vobis poſſem, *quis DEUS ſit?* aut ego eſſe DEUS deberem, aut miſerabilem DEUM haberemus. Quia tamen noſtra plurimum intereſt, ut quàm ſublimiſſimum de DEO conceptum, ideámque perfectiſſimam nobis for-

memus, ſinite, ut quod poſſum, loquar vobis. Tu, magne DEUS, verba grandia mihi ſuggere, verba materiæ tantæ congrua, & digna! ... vos pro fundamento diſcursûs, quem de DEO audietis, hoc ſupponite: *Majeſtatem Regis ex tribus proprietatibus confici*, Potentia, Sapientia, Sanctitate. *Potentia* honorem Regi à ſubditis, & timorem obtinet: *Sapientia* parit æſtimationem, & laudem: *Sanctitas* amorem conciliat, & omne contra Regentis decreta murmur excludit. Jam audite, & audietis cum liquidiſſima voluptate: *Quantus ſit Dominus*, cui ſervimus.

Exercitium Intellectûs. Quæro, *quis ut DEUS?* DEUS Dominus eſt *infinitæ Potentiæ!* hoc robur DEI, hoc opes, hoc famulitium demonſtrant. *Robur DEI* tantum eſt, ut jam prope per ſexies mille annos orbem terrarum univerſum in medio aëre ex tribus digitis ſuſpenſum teneat. *Opes DEI* tantæ ſunt, ut ab ipſo mendicare *panem quotidianum* ſummi etiam Principes debeant. *Famulitium DEI* tantum eſt, ut arborum folia, & arenas maris faciliùs, quàm creaturas numeres, quæ, ut famulentur, ad nutum DEO omnibûs momentis præſtò ſunt. Thronum circumſtant, Dan. 7. *mille millia, & decies millies centena millia* Angelorum, quibus immixta turba Sanctorum turba eſt, *quam dinumerare nemo poteſt*. Apoc. 7. Aër, & ignis, nubes, & venti, fulgur, & fulmen, pluviæ, & grando pro ſatellitio, res creatæ univerſæ,

beſtiæ,

beſtiæ, & dæmones, terræ, & maria, & quæ in eis ſunt animalcula etiam contemptiſſima, ranæ, muſcæ, ciniphes, pro exercitu ſerviunt, quem ad caſtigandam obſtinati Pharaonis ferociam immittat. Inſurgat orcus, fremat orbis, rebellent Angeli, num anxium DEUM in tanta rerum perturbatione videbimus? puerilis cogitatio eſt conformata pro Diis, quorum Regiam per ſuperpoſitos montibus montes potuerunt fabuloſi gigantes oppugnare. Noſtri DEI tanta Majeſtas eſt, ut ad motum oculi ſubſultet cœlum, terra tremat, orcus deſperet. Dicat: *Fiat!* & novum mundum, novum ſolem, novas ſtellas, novas terras, novos homines, novos Angelos, omnia nova videbimus, quin opus ſit aut tempore, aut inſtrumento, aut ſocio, aut conſilio ſaltem, vel ſtudio, & labore! Quodſi dixerit: *Intereat!* momentô hæc omnis machina in nihilum recidet; ſic tamen recidet, ut DEO ſuæ felicitatis pars omnino nulla *rapiatur*, eò quòd ita parùm referat DEI, detúrne mundus, an non detur, quàm parùm meâ intereſt, vivátne aliqua muſca, an pereat. Eja igitur, quis eſt ita *potens*, ut DEUS? . . .

Neque minùs infinitè magna *Sapientia* eſt. DEUS nihil obliviſcitur de præteritis: ſic omnia meminit, ùt ſi in ſpeculo coràm ſpectaret: nihil neſcit futurorum: ſic omnia providet, ut nihil eveniat non expectatum: nihil DEO occultum eſt, etiam quod occultiſſimè

 fit:

ſit: ipſa adeo corda introſpicit. Noſtri Principes, ſicut debilem intellectum, nec niſi duos oculos habent, ita multîs ſanè Conſiliariis indigent, Eccleſiaſticis, Aulicis, Bellicis, Cameræ, Reviſorii, Intimis, præter reliquas Officialium turmas; DEUS verò totus eſt oculus, merus intellectus! propterea nunquam ipſum immenſi regiminis curæ fatigant, nunquam alterius conſilio indiget, pendet à nemine, & facit, quod lubet, quia ſecurus eſt, quidquid fieret à ſe, ſapientiſſimè fieri. Igitur rurſum interrogo: Eja! quis, ùt DEUS, ita *ſapiens* eſt? ...

Sed audio, ſuper omnes alias DEI perfectiones Sanctitatem laudari. *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus Dominus DEUS exercituum!* ita inceſſabili voce omnes Beatorum Ordines concinunt *Sanctus*, *&* *ter Sanctus DEUS!* nempe quia tres in DEO effectus Sanctitas habet, 1. infinitam omnis peccati abominationem, & nauſeam. 2. ardentiſſimum zelum impediendi, ne aliquod fiat. 3. terribilem iram, ſi fiat. *Nauſea* vel de levi mendacio, quod tu ridens dicis, eſt major omni complacentiâ, & gaudio, quod ex omnibus omnium Sanctorum heroicis actionibus capit. Ratio eſt, quia DEus infinito amore ſe eſſe dignum intelligit, & proſequitur; hic amor adigit, ut ſui honoris ſummam rationem habeat, & velit haberi; ſequitur neceſſariò, plùs ei diſplicere debere levem etiam legis ſuæ transgreſſionem, qua debita tantæ

Maje-

Digitized by Google

Majeſtati reverentia temerè violatur, quàm quantávis obſequia, quorum omiſſio culpa non eſt. Nempe Creatorem honorari à creatura, non eſt res tanti: *quid prodeſt DEO, ſi juſtus fueris?* Job. 12. ſed Creatoris legem à creatura non dico contemni, verùm negligi ſolùm, culpa eſt, quæ, quantum in ſe eſt, felicitatem DEI turbaret, & ſi eſſet triſtitiæ ac tædii capax DEus, triſtem faceret, ferè ùt Mardochæus merè non aſſurgendo, infelicem Amanum fecit. Jam ex nauſea de peccato colligite *Zelum*, quô ardet DEus, ut impediat peccatum, ne fiat. Hîc quisque ipſe deſcendat, & quot, quibúsque modis, ne peccaret, impeditus fuerit, examinet. Age, ô bone, quoties per ſe, & ſuos adhortatus te DEus fuit, ut perſeverares in fide ſibi? quoties blanditias, per magna beneficia, & majora promiſſa adhibuit? quoties minis, pœnis exterruit! quoties per infortunia, & morbos à periculis peccati abſtraxit? imò ecce! proptereà tot aureas cœlo ſtellas affixit, ut fulgore ſuo, quanta te maneant bona, edoctum, per ſpem felicitatis infinitæ à deſideriis carnis, & mundi abalienarent: proptereà inferni flammas accendit, ut, ſi amor nequiret, ſaltem timor impetum in ſcelera ſiſteret. Hic zelus eſt DEI, ne fiat peccatum. Quòd ſi fiat tamen, quis mihi jam verba dabit, ut explicem, quanto *odiô* ſint DEO impius, & impietas ejus! Ipſe laborat, ut ad captum ſe explicet: fatetur, tactum ſe *eſſe dolore cordis intrinſecùs*: comparat ſe mulieri

cum partu laboranti, & urſæ pro raptis catulis furenti: cœlum, & terram invocat, ut obſtupeſcant de audacia mancipii Domino rebellantis, ac denique obvia quæque inſtrumenta corripit ad vindictam: aqua jubetur orbem ſubmergere, ignis devorare Pentapolim, terra Dathanem, & Abiron vivos deglutire, aër peſtilentiâ ſuperbi Davidis exercitum inficere: fame perit Samaria, bellô Hieroſolyma perditur, ſeptem maritos Saræ diabolus ſtrangulat, ſacrilegum Heliodorum Angeli flagellant, urſi petulantes pueros dilacerant, leo inobedientem Prophetam occidit, & nihil tandem orbis habet, quod non pro, ac cum DEO irato interdum pugnare debeat contra inſenſatos: *ſic DEus odit peccatum!* ... Verùm quid hæc auribus clamo? oculos uſurpate. *Suſpicite!* videtis, ùt inſtar fulguris ruat de cœlo Lucifer cum tertia parte ſtellarum! *ſic DEus odit peccatum!* ... *deſpicite!* plenus hominibus infernus ſe objicit. Non ſexus, non ætas, non forma, non opes, non ſanguis, non ingenium, non doctrina, non potentia, non multitudo attenditur! *ſic DEUS odit peccatum!* ... *Circumſpicite!* En! *ibi non procul à Paradiſo*, propter vetiti pomi admorſionem miſerabilis Adam nongentorum & triginta annorum miſerabilem vitam vivit! *Ibi in valle Joſaphat*, poſt obſcuratum ſolem, poſt lunam extinctam, poſt caſum ſtellarum, poſt marium confuſionem, poſt univerſi orbis horribile incendium, poſt noviſſimæ tubæ

ipſa

ipſa ſepulchra rumpentem ſonum, fulgurantibus inſidens nubibus, gladióque ancipiti terribilis Judex immenſam hominum multitudinem, applaudentibûs Angelis, comprobantibûs Sanctis, inſultantibus Diabolis ad æternas flammas damnabit; & *ibi* denique, *ibi in monte Calvariæ* (ô ſpectaculum præ reliquis omnibus attentè ſpectandum! ibi pendet JEſus in cruce! crucifigatur! crucifigatur! exclamavit Sanctitas DEI, ùt primùm JEſus in forma peccatoris comparuit: *ſic DEus odit peccatum*, ita ſic, ut ne Filio quidem ſuo pepercerit. O Sanctitas, Sanctitas! & quis explicare poterit, quàm abominanda ſit illa malitia, cujus adeo terribile odium in te videmus! quàm *intolerabilis* res non obedire in re facili, *& tantæ Majeſtatis imperio*, imperio Domini tam Potentis, tam Sapientis, tam Sancti!...

Exercitium Voluntatis. Anima mea, anima peccatrix, ſi armata cultellô ſcriptorio, contra integrum equitum cataphractorum exercitum proceſſiſſes in aciem, age, quàm fuiſſet illa obſtupeſcenda temeritas? atqui nulla eſt comparatio exercitûs cum Domino Exercituum, cujus tu Omnipotentiam contra te irritâſti: dic, cogitaríne poteſt aut magìs inſana audacia, aut magìs audax inſania?... Si, quod vocant, Corpus utriusque Juris, & omnes Leges pro communi Reipublicæ bono à ſapientiſſimis Viris magnô ſtudio inventas, à prudentiſſimis Principibus ſumma volun-

tate ſuſceptas, confirmatáſque calcâſſes, lacerâſſes, cremâſſes, ſcilicet, quòd tibi ſola ſatis ſapias, nec pro tua beatitudine comparanda aliam tibi regulam obſervandam eſſe credas, quàm libidinis tuæ dictamen. Dic, cogitaríne abominabilior ſuperbia, & intolerabilior contemptus poteſt, quô humana Sapientia affectam ſe doleat? tu verò contempſiſti Divinam, & contra ſupremæ Providentiæ ordinationes, confractis tabulis digitô DEI ſcriptîs, credidiſti, certiore te via, quàm quæ in illis deſignata eſt, poſſe ad beatitudinis tuæ conſecutionem peccando pertingere. Quæ ſtultitia, quis animi in ſcelus projecti execrabilis ſenſus fuit? ... Quid, ſi inſuper (prô Superi, quæ ſubit mentem cogitatio horrida! (ſi in medio cœlo, in plena meridie, in conſpectu Sanctorum omnium, in oculis Divinæ Matris, puriſſimæ Virginis (trepidate piæ aures ad propoſitionem terribilem!) ſi in cœlo, coram Angelis, in oculis Mariæ, infami ſcorto per fœdiſſimam fornicationem te adjunxiſſes, quàm imprudens, quàm ſcelerata, quantíſque ſuppliciis digna fuiſſet iſta impietas! dic! judica! Atqui parva eſt Sanctitas Sanctorum, parva Angelorum, parva Mariæ, ſi cum Divina Sanctitate comparatio fiat: & tu in oculis Sanctitatis DEI ſine pudore peccâſti! age! quis explicare poterit, quanta hæc malitia ſit? ſtupe! treme! fle! imò præ horrore irrugi! ...

At-

Digitized by Google

Attamen nondum omnia dixi. Non obedire in re facili, *inexcuſabilis*, non obedire tantæ Majeſtatis imperio, *intolerabilis*, non obedire tanto terrenti ſuppliciô, *inexpiabilis* malitia eſt, hoc 3tium ſupereſt, ut exponam. Obfirmate patientiam, DD. Sodales! horrida, ſed utilis Conſideratio erit.

PUNCTUM III.

Quis explicare poterit, quanta malitia ſit, non obedire tanto terrenti ſuppliciô?

E*Xercitium Memoriæ.* Pœna peccato mortali decreta eſt *Ignis æternus.* Quis eſt, qui hoc neſcit? adhuc pueris inculcata ſæpiùs peremptoria Divini Judicis ſententia fuit: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum!* Matth. 25. Sed quis attentè examinat pondus vocum: *in ignem æternum!* vetuit Chriſtus, Luc. 12. timere eos, qui, poſtquàm occiderint corpus, non habent ampliùs, quod faciant: juſſit DEum timere, quia habet ampliùs, quod faciat nobis. Quid ampliùs! prô Cœlites, quantô ampliùs! *poſtquàm occiderit, poteſt corpus, & animam mittere in gehennam, in ignem æternum!* hoc habet ampliùs, & quis *hoc* audit, quin expalleſcat? ſi intelligat ſaltem, quid ſignificent verba hæc: *ignis, æternus!* ...

Exercitium Intellectûs. DD. Sodales, obſecro, dicite: *quis habitare poterit,* non dico, in tugurio ventis & pluviis pervio, in fœtente ſtabulo, in anguſto carcere, in teſquis ferarum, ſed

quis habitare poterit, cum igne, & cum igne æterno, hoc quæro? Enimverò ardere in igne corpus totum involvente, omnes nervos, venas, oſſa, ipſas oſſium medullas pervadente, imò etiam in ſpiritualem animam ferociter ſæviente, & hoc *æternum!* ... ardere *in igne* ſævitia ſemper æquali, furore nunquam miteſcente, latè circùm omnia populante, nec tamen quidquam conſumente, & hoc *æternùm!*... ardere *in igne*, plures horas profundo, plures alto, plures lato, undique incluſo, & per omne latus non ſine multiplici intenſione æſtûs repercuſſo, & hoc *æternum!* ... Æternùm! ô verbum grave, quis non in tui pronuntiatione balbutiat? quis, quantum ſignifices, explicet? Nempe dici poteſt: æternitas eſt circulus, cujus centrum eſt, *ſemper*, circumferentia, *nunquam*, ſed parùm dicitur. Dici poteſt: æternitas eſt nox, quam nulla excipit dies, eſt mare, quod littus non habet, abyſſus ſine fundo, latitudo ſine menſura, longitudo ſine fine, ſed parùm dicitur. Dici poteſt: æternitas eſt procella perpetuò furens ſine ſpe redituri ſolis, vermis ſemper arrodens ſine corroſione, rota nunquam ſubſiſtens, momentum nunquam deſinens, ſed parùm dicitur. Numerate *tot annos*, quot in arboribus folia, guttas in aquis, pulviſculos in terra DEus numeravit, parùm dicitur. Numerate *tot annorum millenarios*, quot neceſſarii ſunt, ut aut avicula univerſa maria ebibat, aut formica omne frumentum orbis

ter-

terrarum devoret, aut ex damnatis aliquis lacrymis ſuis velut novo diluviô totum mundum ſubmergat, parùm dicitur! parùm! parùm! ...

Ah! quid erit igitur captum alligari æternis tenebris, inter æternos fletus, & dentium ſtridores, inter æternos fœtores putreſcentium cadaverum, in æterna fame, ac ſiti, in æternis miſeriis, & cruciatu! ... & accedet his malis æterna cum rabidis dæmonibus ſocietas! æterna de malè neglectis bonis occaſionibus amarities, & pœnitentia! æterna cum ſcelerum complicibus, & furioſa inimicitia, æterna de tota pectori ſemper incumbente mole infelicis æternitatis triſtitia, impatientia, deſperatio! ... Neque tamen jam texuimus omnem calamitatum catalogum: immenſus cumulus additur ab æterna jactura æternorum gaudiorum, ab æterna ſeparatione à Sanctis Cœlitibus, ab Angelis, à Maria, & denique ab æterno odio (ô horror! ô infortunium! ô dolor!) ab æterno odio, quô me DEus perſequetur, & ego DEum, DEum, qui tamen hoc fine creavit me, ut ego ipſum, & ipſe me æternùm amaret! O anima infelix! ô miſera anima, quæ tota æternitate amare DEum *non poterit*, quam tota æternitate amare DEus *non valet!* ô malitia, verè *inexplicabilis* malitia, non obedire *tanto terrenti ſuppliciô!* verè enim dignus eſt plecti æternùm, qui obedire contemnit minitanti æternum ſupplicium! ...

Exer-

Exercitium Voluntatis. Et tamen (*obſtupeſcite cœli ſuper hoc! tamen nullus eſt, qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens: quid feci?* Jer. 8. ſi quæramus, quis peccaverit, facilis reſponſio erit, digitô fortè multos reos monſtrare poſſemus, & dicere: *tu es ille vir*, creatura ingrata, ſervus rebellis! Ita, ita, *tu es*, ô imprudens Juvenis, qui in omnem effuſus licentiam, hoc curas unum, ut lateas, nihil *oculum DEI* reſpiciens! *tu es* ô Myſta ſacrilege, qui tui characteris ſanctitatem, morum fœditate contaminas! *tu es* ô Marite infamis, qui *magnum Sacramentum* facis orbis ludibrium! *tu es* ô perfide Officialis, qui, ut marſupio ſervias, Rempublicam perdis! *tu es ille vir*, ô Parens crudelis, cujus omnis cura eſt, ut elegantes ſint filii, ut probi ſint, nulla! *tu es* ô luſor inſane, qui poſt perditum tempus, poſt dilapidatas opes, poſt afflictam familiam, poſt venúmdatam animam, inſuper blasphemis tumultibûs cœlum pulſas, irámque Tonantis temerariè provocas! *tu es* ô belluine Epicure, qui, quia poſt hanc vitam aliam meliorem non ſperas, ideò nec credis, nec cupis!... Tales an dentur, & quot dentur, vos, DD. Sodales, melius nôſtis, ac ego: ſed quem nôſtis, hoc dicite, quem nôſtis, *qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens: quid feci?* flentem patrem de morte filii vidiſtis, hoc credo: querentes de ſua pauperie, de injuriis tempeſtatis, de miſeriis noſtri temporis auditis quotidie, hoc concedo: de ſolvendis debi-

tis,

tis, de ſuſtentanda familia, de gratia Principis multi anguntur vehementer, hoc ſcio: ſed quis, ô Superi! quis viſus eſt flere de peccato? queri de infortunio, quòd in tantum malum inciderit? angi de modo ſe extricandi? imò quis seriò, & attentè cogitat: *Quid feci? quid feci?* ... Nos hodie cogitavimus, & cogitando commoti tandem ad intenſum dolorem ſumus. Nam cur dubitem? intelligimus, *quid ſit peccare*, ſcimus tandem, quod fortè hactenus non ſic expendimus: *quanta malitia ſit, non obedire in re facili, & tantæ Majeſtatis imperio, & tantô terrenti ſuppliciô*! malitia nempe inexcuſabilis, intolerabilis, inexpiabilis! hoc qui ſciat, qui cogitet, fieri poſſit, ut non amariſſimè doleat? Dolemus, & ad Crucis hujus pedem profitemur dolorem!...

COLLOQUIUM.

EHeu! bone JEſu, *quid feci?* peccavi! DEum offendi! *Ego DEum*! ô verba vel ſaxum frangentia! *Ego* vermis, pugillum pulveris, miſellus homuncio *DEum* offendi, Dominum *infinitæ Potentiæ*, coram quo columnæ cœli curvantur, & contremiſcunt! *Ego* cæcus à nativitate, præcepta Domini *infinitæ Sapientiæ*, velut alia ad beatitudinem via certior eſſe poſſet, temerè neglexi, & elatô in rebellionem ſupercilio ſuperbè contempſi! *Ego* turgens faſtu Phariſæus, qui oculos hominum anxiè pertimeſco, ne quod diſpliceat, in me videant, auſus ſum nefanda flagitia perpetrare in delicatiſſi-

catiſſimis oculis Domini *infinitæ Sanctitatis*, & auſus ſum, cùm *facilè* poſſem, imò *ſolo contemptu* poſſem tentatorem repellere! auſus ſum, bene gnarus, peccatum facinus eſſe *æternis ſuppliciis* dignum! ô malitia verè inexcuſabilis! intolerabilis, inexpiabilis! & fieri poteſt, ô Maria! ô Maria! ut verum ſit, quod hìc lego, ut ſis adhuc *Maria propitia!* fieri poteſt, ut ego à te patrocinium ſperem, cujus Filium per malitiam tam atrocem offendi! ... Vos autem, ô SS. Angeli, qui quondam conjuratione tam famoſa contra contumacem Luciferum conſurrexiſtis, quouſque modò quieſcitis? quid? nullúsne in hoc loco præſens eſt ſervus nequam, nullus inobediens, nullus læſæ Majeſtatis DEI veſtri graviter reus? exurgite, vindicate injurias vindictâ publicâ, & ad multorum terrorem ſalubri! ... Quanquam cur non jam pridem aperuit infernus os ſuum, & tot Juvenes laſcivos, tot Viros iniquos, tot inveteratos dierum malorum ſenes uno hiatu glutivit? Ah! cur? nempe quia tu, DEus mi, ſicut magnus es Dominus, ſic nimis miſericors Pater es! minaris inferni tormenta, ne damnare nos debeas. O! ceſſa minari! en adſumus ad hanc Crucem proſtrati, non quia timemus infernum, ſed quia de tua offenſa triſtamur! *Non obedivimus in re facili, tantæ Majeſtatis imperio, tanto terrenti ſupplicio!* peccavimus tibi! coram te! dolemus! dolemus! .. Et quantus eſt dolor noſter, DD. Sodales? ego ne-

neſcio, quid vos ſentiatis. Vim mei doloris explicare lingua non poteſt: rumpere cor meum! loquere tu!... *Pater noſter.*

REFLEXIO.

SEdeamus!... Imitatio S. Petri, cupio, ut ſit fructus hujus Meditationis. Converſionis Apoſtoli hic ordo fuit. Primùm cantavit gallus bis, deinde converſus JEſus reſpexit Petrum, poſteà Petrus egreſſus foras *flevit amarè*, & hujus ſancti doloris exercitium totâ deinceps vitâ continuavit. DD. Sodales, ego hodie *gallus* fui, qui ante, & poſt meridiem vobis cantavit: quin vos JEſus de hac Cruce *reſpexerit*, dubitare non poſſum. Igitur bene habet! ſpero, ô ſpes jucunda! ſpero adeſſe neminem, qui non hodie ſemel ſaltem elicuerit *contritionem perfectam.* Quid ſequitur? ſequela plena ſolatii! ergo omnes, omnes in gratia apud DEum aut confirmati, aut repoſiti eſtis. O fiducia dulcis! *omnes in gratia ſumus!* ſatìs eſt! ite *in pace, in idipſum dormite, & requieſcite!* egimus *in luctu ſalubri* diem: factum bene! cras mane *à luctu* de præteritis vertite animum *ad timorem* de futuris. *Initium Sapientiæ eſt timor Domini*, dicite: *Delicta mea paveſco, & ante te erubeſco, cùm veneris judicare, noli me condemnare!* ſic animô præparati, redibitis ad fructum novum, quem veſtræ patientiæ, ac fervori uberrimum ominor. Faveat porro, qui favit hodie, & laudetur JEſus Chriſtus!

In æternum.

SACRI

SACRI TRIDUI EXERCITIA DIEI SECUNDÆ.

PRÆPARATIO.

LAUDETUR JESUS CHRISTUS!
℞. IN ÆTERNUM.

DOlor de vita præterita *ad Reſolutionem* emendationis impellit, DD. Sodales! ſed Reſolutionis *Executionem* urget timor futurorum. Itaque ſicut herì *in dolore*, ita hodie *in timore* diem agemus, ſæpiùs tacitè ingemiſcendo cum Eccleſia: *Delicta mea paveſco, & ante te erubeſco, cùm veneris judicare, noli me condemnare!* ... hic affectus omnium hujus diei Exercitiorum ſcopus, & fructus ſit. Sedeamus.

EXERCITIA ANTE MERIDIEM.

CUm de timore loquor, oro vos, ne putetis, id agere me, ut ſcrupulos movetam: abſit! non ſtultè anxios, ſed cautos, *cautos*, & *prudenter* pro veſtra ſalute ſollicitos vos reddere volo. Nempe, quod *flens dico*: vivunt ali-

aliqui *quaſi nunquam morituri*, alii *quaſi toti morituri*, alii quaſi de ſalute, & prædeſtinatione *certiſſimi*, alii quaſi *ſtudiô* vellent damnari : & his malis omnibus timor medetur. Timor initium Sapientiæ eſt, timor malitiam frangit, ignorantiam inſtruit, fragilitatem ſanat, peccatum expellit, erigit lapſos, tepidos accendit, innocentes Sanctos facit, denique, ut totum verbô dicam : *introducit charitatem.* Quapropter Apoſtolus *Exercitium timoris* vehementer commendans : *Cum metu & tremore*, inquit, *cum metu, & tremore ſalutem veſtram operamini!* Phil. 2. Sed quid eſt, quod debemus metuere ? Dico :

Metûs, & tremoris argumentum primum eſt *Mors*, quia mors eſt *tranſitus à tempore in Æternitatem*, & hæc definitio mortis ſit *materia* primæ Meditationis. *Puncta duo* notate, primum : Mors eſt finis temporis, 2dum Mors eſt initium æternitatis. *Fructus* erit, æſtimatio *regulæ* à morte traditæ : *nihil fac, quod moriens feciſſe nolles!* Optima lex! nam mors claré docet, quid *ad finem ultimum* nobis utile, quid noxium ſit..., . Res ſummi momenti eſt, de ultimo momento bene cogitare. Igitur ſtatuamus nos in conſpectu DEI! *DEus nos videt*, DD. Sodales, DEus vitæ noſtræ, & mortis Dominus! ut nihil videat, quod non approbet, attentione ſeria Meditationi huic nos applicemus. Fave conatui, & veni, *Veni Creator Spiritus!* ...

EXERCITIUM I.

Meditatio de Morte.

P*Rælud*i*um I.* Imaginemur nobis, adeſſe nos cruento ſpectaculo, quod 1. Reg. 15. narratur, ubi Samuel Regem Agag trementem, gemitúque miſerabili lamentantem: *Siccíne ſeparas amara mors!* obtruncat, & in fruſta concidit. Sic enim ſævit mors: eruit oculos, aures abſcindit, truncat nares, linguam extrahit, cutem abſtrahit, ac demum ab ipſis carnibus corpus totum usque ad oſſa denudat.

Præludium II. Væ! væ! quibus hæc, ùt illi Regi, malè præparatis evenient! nos dicamus cum Eccleſia: *à repentina, & improviſa morte libera nos, Domine!* ... Sedeamus.

PUNCTUM I.

Mors eſt finis Temporis.

E*Xercitium Memoriæ.* Dicetur cuilibet noſtrûm, neſcio quando, fortè hoc adhuc annô, imò non fortè, ſed certò, certò *aliquibus* noſtrûm: *hoc adhuc annô* dicetur: *Finis venit, venit finis! jam nunc finis ſuper te!* finis *temporis*, & cum fine temporis, finis *rerum omnium*, quæ pereunt in tempore! *finis venit* opum, honorum, voluptatum: *finis* etiam miſeriæ, perſecutionum, dolorum! denique, ut verbô dicam: *finis* totius ſive comœdiæ, ſive tragœ-

tragœdiæ, in qua perſonam egimus! finis venit, *Mors eſt finis temporis!* ...

Exercitium Intellectûs. Hæc ſententia ita evidens eſt per fidem, per rationem, per experientiam, ut ne quidem impudentiſſimus audeat movere dubium. Alia ſententia, quantumvis abſurda ſit, nulla reperitur, ſine patrono. *In rebus Phyſicis* dari motum, negavit Zeno: *in Aſtronomicis*, ſolem non eſſe majorem diſcô, Democritus dixit: *in Hiſtoricis*, mundum eſſe actu creatum in tempore, Ariſtoteles abnuit: *in Politicis*, quòd uxores in Republica debeant eſſe omnibus communes, Plato docuit: *in Theologicis*, ſunt eheu! in plena meridie cæci homines, quibus diſputare eſt volupe: an detur DEus!... Age verò, quis inventus eſt unquam aut tam imperitus, ut neſcierit, aut tam inſanus, ut diſputaverit de hac Theſi: *An ſtatutum ſit hominibus? mori* .... Abſit! nemo hîc hæſitat: omnes, etiam robuſtiſſimi, etiam potentiſſimi, etiam Auguſtiſſimi ad hanc quæſtionem obvertunt humeros, ſilent, & ſilendo clamant: *Statutum eſt!* imò quæri de hoc, indignantur ... Ergo in *demonſtratione* veritatis tam nemini dubiæ (niſi forſan illi, qui de ſe dubitat, an ſit homo?) fruſtra tempus terimus: potiùs, *quæ concluſiones* ex præmiſſa tam certa deducendæ ſint, expendamus ... *Mori debemus*, hoc eſt, finietur hæc vita, nam *mors eſt finis temporis!* quid ſequitur? ... *Sequitur* 1. Ergo *Felicitas hujus*

vitæ tanti non eſt, *quanti habetur*. Fuit Juvenis nobilis, qui, cùm in procinctu ad iter eſſet in exteras regiones, ad S. Philippum Nerium ultimùm valedicturus acceſſit. Sanctus, antequàm benediceret abiturienti, amanter interrogat hominem, *quo fine* deſereret patriam? ut aliarum gentium, reſpondet Juvenis, linguas diſcam, mores videam, artes experiar. Non reprehendo, infert Philippus: verùm dic, ô bone, *quid poſteà* facies? poſteà, ait ille, in patriam redux, de opulentis nuptiis, & pingui officio mihi proſpiciam. Et *quid poſteà?* repetit Nerius: Juvenis, poſteà, inquit, cura erit, ut augeam opes, multiplicem titulos, familiæ ſplendorem amplificem. Sanctus diſſimulata ſemper vani hominis imprudentiâ, iterum urget: *quid poſteà?* & ille, quid vis ampliùs? reponit, poſteà, Pater mi, fructu curarum laborúmque lætus, ac felix fruar. Necdum quieſcente Sancto, ſed ut extorqueret tandem optatum reſponſum, adhuc, *quid poſteà?* iterante, tandem adoleſcens, quouſque hac quæſtiunculâ torqueor! pænè ſubſtomachans quiritatur: nempe, ùt homo ſum, ſic poſteà, cùm DEus voluerit, moriar! cur huc adigis me? Tum Nerius voce gravi rem explicans: *Quia*, dixit, *quæ tibi ultima cogitatio eſt*, *voluiſſem*, *ut eſſet prima*. Idem ego, DD. Sodales, à vobis velim, ut prima, & frequens cogitatio de morte ſit: ita non omnes curas veſtras abſorbebit hæc una cura, ut poſſitis *feliciter vivere*.

Ah!

Ah! moriendum eſt! ergo, quæ tantô impendiô parâſti, *cujus erunt?* & quid proderunt tibi? Lege Virorum illuſtrium exeſa vetuſtate Epitaphia, vix legere aliud poteris, quàm triſtes voculas: *Vixit! jacet! fuit!* huc omnis mortalium felicitas concidit! ô miſera, ô infelix felicitas! ... *Sequitur 2dò.* Ergo *ponendum eſt pretium tempori.* Ægrotabat ad mortem Belliducum quidam, quàm peritus militiæ, tam vitæ Chriſtianæ incurius. Inviſens ad hominem ſibi charum Carolus V. Cæſar, poſt demonſtrata miſerantis animi ſigna, admonuit moribundum, ut quam vellet, à ſe gratiam poſtularet, obtenturum meritis parem. Æger ad hanc vocem erectus, quoniam ita per te licet, Auguſte, inquit, & aliqua tibi meæ fidei, laborum, periculorum, vulnerum memoria eſt, obſecro, ut horæ dimidium vitæ meæ adjicias, quò paratior abeam in domum æternitatis! Attonuit Carolum novitas poſtulati; oculos, & manum effert in cœlum, adducit humeros, ſuſpirat, ac pænè lacrymans: Amice, neſcis, quid petas, inquit: Pete aliquid, quod in Cæſaris poteſtate eſt poſitum: *DEus non ſum!* Irrugiit miſer ad hanc vocem, aversóque ad parietem vultu, quæ igitur hæc fuit inſania, exclamavit: totam vitam conſecrâſſe ſervitio Domini, qui ne horæ quidem dimidium adjicere vitæ poteſt! ſic vociferans infelicem ſpiritum exhalavit. Hoc habent, qui tempus à DEO datum ad

agendam pœnitentiam, ad augendam gratiam, ad promerendam gloriam, totum perdunt aut *aliud* agendo, aut *nihil* agendo, aut *malè* agendo... *Sequitur 3tiò*: Ergo *diſpone domui tuæ!* felix, qui ſic vivit, ut quando venit finis vitæ, non ſit opus *orare inducias.* S. Aloyſius, cùm aliquando innocenti luſu ſe recrearet cum ſociis, interrogatus eſt, quid eſſet facturus, ſi intra horæ quadrantem moriendum eſſe ſciret? reſpondit modeſtè ſubridens: *Pergerem ludere!* Et verè, cùm deinceps ægrotanti denuntiatum periculum fuit, explicata fronte ſuaviter cantillans ſæpè repetiit: *Lætantes imus! lætantes imus!* ſic moritur, qui ſemper paratus eſt mori.

Exercitium Voluntatis. O DEus! egóne ſic cantans morerer? ... ſic cantans: *lætantes imus! lætantes imus!* .. an potiùs ſic clamantes: *Siccine ſeparas amara mors! amara mors!* ... Sunt, quibus mortis vicinæ periculum ſine gravis offenſæ periculo nuntiari non poteſt. Medici jubentur ſpem alere, donec æger exhalet animam: Sacerdotes alloqui prohibentur, ne terreant: domeſticis imponitur præceptum ſilentii: conſanguinei dulcibûs blanditiis animant: denique cùm ſileri rem, res ipſa non ultra patitur, dicitur aliquid per ambages, timidè, dubiè. Ita vel nulla, vel accommodata nuntio præparatio fit, hoc eſt, ſera, frigida, dubia. Atqui nemo metueret terrere ægrum, ſi ſciret ab ægro mortem

non

non *metui*, ſed *optari* : ſi ſperaret audire reſponſum hilare : *Nunc dimittis ſervum tuum! lætantes imus!* ... Anima mea, quô animo es? urgente morbo, non urgebis tuos, ut de periculo admoneant? ad monita triſtaberis etiam? expalleſces? flebis? ... cur verò, eja! cur flebis? an, quia moriendum tibi eſt *ſoli?* falleris! *ſtatutum eſt hominibus!* quisquis homo eſt, mortalis eſt. An, quia *mors eſt finis temporis?* ita, ita hæc cauſa triſtitiæ eſt: *nimis affixi tempori* ſumus, & rebus, quæ ſunt in tempore: *nimis abuſi tempore* ſumus, & ad alia omnia uſi, quàm ad quæ oportuit: hæc gemina cauſa eſt, quòd affligamur, cùm adeſt *finis temporis.* Videmus periiſſe *falſum bonum*, quod *in tempore* amabamus: & periiſſe *ipſum tempus*, quod ad conſequendum *bonum verum* impendere debebamus; hi *duo fontes* amariſſimum mare efficiunt, cui toties immerguntur morientes, & væ illis, ſi *tempus non erit ampliùs*, ut emergant! ... O maximi momenti conſideratio de ultimo momento! ... In illo momento cogitabo mecum: hem! *fuit tempus*, quo uſus ſum hoc mundo, & omnibus deliciis ejus, non vult peregrinus, & advena, ſed ùt incola, ùt civis, prope ùt Dominus: *quid prodeſt?* nunc, *ſicut nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, ſic nudus revertar illuc!* Job. 1. migrandum eſt! ut mundo hoc porro utar, *tempus non erit ampliùs!* ... *Fuit tempus*, cùm induebam corpus hoc *purpurâ, & byſſo: epulabar*

quotidie ſplendidè. Luc. 16. bibebam vinum in phialis aureis, & *optimô unguentô delibutus*, *in lecto eburneo dormiebam.* Amos 6. *tenens tympanum, & cytharam, & gaudens ad ſonitum organi, ducebam in bonis dies meos*, Job 21. *coronavi me roſis, nec fuit pratum, quod non pertranſiit luxuria mea.* Sap. 2. *ingrediebar pompaticè*, Amos 6. turbáque clientum, amicorum, ſervorum circumdatus, dicebam cum Simone mago: *me eſſe aliquem magnum*, Act. 8. *Quid prodeſt?* tunc *verſa eſt in luctum cythara mea, & organum meum in vocem flentium!* Job. 30. Oſtentationis, & gloriæ *tempus non erit ampliùs!* ex tanto apparatu *ſolum mihi ſupereſt ſepulchrum!* Job. 17. *detracta eſt ad inferos ſuperbia mea! ... concidit cadaver meum: ſubter me ſternetur tinea, & operimentum meum erunt vermes!* Iſ. 14. *calcabit ſuper me quaſi Rex, interitus!* Job. 18. . . *Fuit tempus*, quô expiare peccata, colligere merita, providere de futuris potui: non ſtimuli, non occaſio, non media defuerunt! *quid prodeſt?* ego mihi defui! *ego defui!* nunc malè diſpoſitus ſum ad negotium tam grave tractandum, quale eſt negotium ſalutis. *Circumdederunt me dolores mortis*, qui ſerias de anima cogitationes impediunt: *pericula inferni invenerunt me*, quæ in terribiles anguſtias, ac propè in deſperationem conjiciunt: *tribulationem, & dolorem inveni*, Pſ. 114. quia heu! heu! heu! finis venit, venit finis, jam nunc finis ſuper me! *finis temporis*,

&

Digitized by Google

& cum fine temporis, heu! heu! heu! *initium æternitatis!* ....

DD. Sodales, quid cogitatis? éſtne prudentis Viri, negotium æternitatis differre ad finem temporis? certus ſum, ſic inſanire neminem, ut magni momenti litem Judici, vel Advocato *jam moribundo* extricandam committat. Dicitis: intricata cauſa eſt, opus eſt homine vegeto, viribus integris, mente non turbida. Sic eſt! ſi autem ſic eſt, cur nos negotium ſalutis *nobis moribundis* committimus? qua prudentiâ bene actum iri confidimus ab homine ægro, viribûs fractîs, mente turbida? ah! cùm tempus habemus, operemur bonum! *Mors eſt finis temporis!* ergo *bonis temporis* non affigamur: ergo *pretio temporis* bene utamur: ergo *in tempore* ſeriò cogitemus de morte, nec differamus, donec *tempus non erit ampliùs!* ... Has tres concluſiones, æquum eſt, ut à nobis extorqueat, quod hucusque expendimus *per Punctum* 1*mum*: Mors eſt finis temporis! Easdem (ſic nos DEus amet!) urgebit, & inculcabit multò potentiùs

PUNCTUM II.

Mors eſt initium Æternitatis.

EXercitium Memoriæ! Ita, Mors eſt initium vitæ novæ, & quidem vitæ non centum, aut mille annorum, ſed initium vitæ æternæ. Etſi enim *quoad Corpus*, ùt loquitur Eccleſiaſtes c. 3. *unus interitus eſt hominis, & jumentorum,*

& æqua utriusque conditio, ita, ut *nihil habeat homo jumento amplius*, quia uni æquè, ac alteri mors eſt finis temporis; *quoad animam* tamen idem Sapiens c. ult. diſcrimen grande aſſignat, cùm de homine loquens dicit, quòd revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat: *& ſpiritus redeat ad DEum, qui dedit illum*, atque adeò ſuperſit corpori, detúrque poſt hanc vitam vita alia, *alia*, & illa *æterna*.. Atque hoc dicimus, cùm dicimus: *Mors eſt initium Æternitatis.* Quis dubitet?

Exercitium Intellectûs. DD. Sodales, ſi refero argumenta veritatis, de qua neminem veſtrûm credo dubitare, cogitate, eo me fine facere, non ut diſcatis, quod ſcitis, *animam vos immortalem habere*, ſed, ut anima ſuæ immortalitatis aut oblita, *ut ſit*, aut incuria, *quod nocet*, expergeſiat ad vitam dignam tantâ prærogativâ. Itaque ſic habete. Duo aſſerimus, cùm animam dicimus immortalem eſſe, primum, quòd poſt hanc vitam detur *alia*, deinde quòd illa vita ſit futura *æterna.* Utraque aſſertio quàm certa ſit, audietis cum voluptate, ſi ſtudioſè attendatis. Verùm, antequàm ad demonſtrationem progredior, *poſtulo*, ut mihi liberaliter concedatis hanc ſententiam: *quòd anima hominis ſit immortalis*, ſaltem *probabiliter* veram eſſe.... Hæſitatis æquiſſimo poſtulato annuere?.. igitur cogam. Huc ades, quisquis obſtinâſti animum ad contradicendum cuicunque demonſtrationi, extorquebo aſſenſum

ſum mihi, vel ab invito. Sic enim argumentor: *eſt evidens, non eſſe evidens, quòd anima ſit immortalis*, imò eſt evidens, quòd rationes pro immortalitate animæ afferri ſolitæ tales ſint, ut *plurimos* Viros prudentes in amplexum ſententiæ traxerint, *omnes* verò omnino homines, qui illas ſeriò expendunt, eò permoveant, ut fateantur ſaltem *rationabiliter* dubitari poſſe, an non ſit anima poſt mortem ſuperſtes perpetuò: ergo eſt evidens, ſententiam, quòd anima ſit immortalis, ſaltem probabiliter veram eſſe. Quid negatis? conſequentiam eſſe bonam, patet *ex terminis*, antecedens eſſe verum, *experientia* docet: quid ergo negatis? imò quid poteſtis negare?... videtis igitur, quòd juſta mea poſtulatio fuerit. Quid infero? querelam infero contra illos, qui, cùm *de cura vitæ futuræ* nos audiunt loqui, leviter excutiunt bona monita, muſſitantes intra ſe: hæc ſunt figmenta popparum! Pfaffereyen! Pfaffereyen! quaſi vólupe nobis eſſet, animos audientium perterrefacere propoſitione *incertæ ſententiæ*. Siccíne! *incertam* vocatis ſententiam de animæ immortalitate? ſi *falſam* dicere poſſetis, meritò indignaremini nobis: nunc, quia dicitis, quòd ſit *incerta* ſententia, admittitis, quòd ſaltem ſit *dubium*, an non ſit vera; & hoc ſufficit mihi pro nobis, contra vos, ut dicam, rectè curam vitæ futuræ inculcari à nobis; nam cùm anima utique *ideò* moritura non ſit, *quia* vos creditis, eſſe morituram, ſanè *viri prudentis* eſt, in

re

re tanti momenti, etiam quando *dubia* ſententia eſt, decernere, quod eſt tutius, vitæque futuræ ambiguam ſortem malle *credere*, quàm *experiri*. Ipſi enim Judices eſte inter Titium, & Cajum. Titius dicit: *anima moritur!* Cajus dicit: *non moritur!* evidens eſt, quòd alteruter erret: ſed vos dicite, cujus error eſt pejor? certè ſi errat *Cajus*, nihil ei nocebit ſuus error, niſi quòd metu miſeræ æternitatis perculſus, cohibiturus ſit licentiam agendi, quod libet, & intra honeſtatis limites ſuarum affectionum impetum coërciturus. Verùm ſi *Titius* errat, hic illi error proderit, ut vivat licentiùs *ſine remorſu*: ſed *quamdiu?* & *quid poſteà?* Ecce! *guſtavi paululum mellis* ex hujus vitæ breviſſima felicitate: *poſteà* erit æternùm miſer, *miſer æternùm!* imò neque *nunc* (erravi enim!) neque *nunc* vivet *ſine remorſu*. Quantumcunque enim repetat ſibi: *non datur alia vita poſt hanc, non datur!* impedire tamen non poterit, quin illi opportunè, importunè oggerat ſana ratio: *non eſt certum, quòd non detur alia vita: fortè datur! fortè datur!* & iſtud *fortè* ſufficit, ut omnis hujus vitæ beatitudo deſipiat. Videte igitur, ſi errandum eſt, quocum erretis *prudentiùs*, cum Cajo, an cum Titio: videte, an noſtræ *de cura vitæ futuræ* Exhortationes *ſapienter* pro nugis contemni poſſint, dicendo: das ſeynd Pfaffereyen! Pfaffereyen! imò monita *naturalis prudentiæ* ſunt, concluſiones ſunt, quas *ſana ratio* etiam

non

non adjuta per fidem deducit ex hoc evidente principio: *fortè anima eſt immortalis!*...

Sed ſatìs eſt. Quàm *imprudentes* ſint, qui ſic vivunt, quaſi *certum* eſſet, quòd *toti* ſint morituri, evidenter evici; nunc videbimus, quàm *ſtupidi* ſint, ſi non penetrent vim argumentorum, quibûs animæ immortalitas non modò probatur, ſed demonſtratur. Firma me DEus, ut ſive ad proborum ſolatium, ſive ad improborum terrorem, veritatis tam grandis teſtimonium irrefragabile feram. Fructum ingentem ſpero; nam, ſi enim dubia opinio, *an fortè anima poſt mortem ſuperſit*, efficaciter ſtimulat prudentem virum ad bene formandos mores, quid non poterit demonſtratio?... Hoc moneo, ne litigetis mecum poſteà, & dicatis, immortalitatem animæ *gratioſam* me demonſtrâſſe potiùs, quàm *naturalem*; ſi enim fatebimini, quòd anima veſtra ſit immortalis, obtinui, quod deſidero: sítne immortalis *ex natura ſua*, an ex DEI *decreto*, ſive ex *gratia*, pro praxi, & ad fructum planè perinde eſt. Jam attendite: primùm, quòd anima poſt mortem *aliquamdiu*, deinde quòd *æternùm* ſit ſuperſtes, *ex ratione* per argumentum univerſale, *ex fide* per argumentum ad hominem demonſtrabo.

Quid igitur docet *Ratio*? docet, quòd hic ſpectabilis mundus nec ſit à ſe, nec merè caſu ſic coaluerit. Infert: ergo datur *Creator mundi*. Urget; Si datur Creator, datur etiam

Guber-

Gubernator: hoc enim ſapientia Creatoris, & gloria exigit. Proſequitur: ſi Gubernator datur, utique & *Legiſlator?* nam per leges gubernatur communitas. Pergit: ſi datur Legiſlator, utique *providus* datur, hoc eſt, ut leges ſuæ ſerventur, *intentus*, & an ſerventur, *attentus*; niſi enim ſit talis, habet inane nomen. Concludit: ſi *intentus* eſt Legiſlator, ut leges ſerventur, neceſſe eſt, ut *decreverit* pœnas, & præmia, nam hæc ſunt media ad iſtum finem: & ſi eſt *attentus*, an ſerventur, neceſſe eſt, ut pœnas, & præmia *exequatur*, nam bene decreta non exequi, aut imbecillitas, aut ignavia eſt. Hucusque *Ratio* ſyllogiſmi demonſtrativi propoſitionem *majorem* poſuit, quam breviùs ſic contraheres: *neceſſe eſt, ut DEus præmiet bonos, puniat improbos, vel in hac vita, vel poſt hanc vitam.* Minorem adjungit experientia: *atqui in hac vita paſſim nec punit, nec præmiat*, ſunt enim hujus vitæ bona, & mala ferè bonis, & malis *communia*. Quid ſupereſt? innegabilis conſequentia ſupereſt: *ergo neceſſe eſt, ut puniat, & præmiet poſt hanc vitam*: ergo neceſſe eſt, ut anima ſaltem *aliquamdiu* ſuperſit poſt hanc vitam! ... Agite, quid diſplicere in hoc diſcurſu poteſt homini non ad inſaniam contumaci, & in ſuæ pervicaciæ defenſionem unum increduli Thomæ axioma impudenter jactanti: *niſi videro, non credam!* quaſi pecora ſimus, quibus ſolus *oculorum*, nullus verò *Rationis* eſt uſus? ...

Diffi-

Difficilius negotium eſt, ex principiis *ſolo lumine naturæ* notis demonſtrare, quòd, ſi anima ſit *ad tempus* ſuperſtes poſt mortem, hôc ipſo exigat ſupereſſe *æternùm*. Equidem Philoſophi primùm *negativè* hoc probant, & dicunt: nulla eſt ratio, quòd anima aliquando *naturaliter* debeat interire, ſi aliquamdiu potuit extra corpus *naturaliter* vivere: deinde *poſitivè* oſtendunt, quòd *ſpiritus* ſit, & concludunt, quòd *immortalis* ſit. Ego verò hîs argumentîs, ſicut vim demonſtrativam non tribuo, ſic uti nolo in loco hoc, in quo mihi Auditorum conditio aliud multò fortius convincens ſuppeditat. Nempe *unde* demonſtretur immortalitas animæ, nihil refert, *modò* denique demonſtretur. Itaque ſi ego Infidelibus loquerer, primùm Chriſtum pro nobis crucifixum demonſtrarem, *eſſe DEum*: quod cùm vos ultrò concedatis, & ſi non concederetis, cras ſitis audituri, ex hac ſuppoſitione, tanquam ex præmiſſa conceſſa infero, quod negare nullus intellectus bene diſpoſitus poteſt: ergo *certum eſt, quòd anima ſit immortalis.* Si enim *mortalis* eſſet, ſanè Filius DEI *ſapienter* nec incarnari potuiſſet, nec mori. *Non incarnari*, quia non decuit, ut *uniret* ſe animæ deſituræ in nihilum, & totam ſubſtantiam, quam ſemel aſſumpſit, aliquando dimitteret: *non mori*, quia pro felicitate *temporanea* nobis comparanda, *vitam divinam* immolare, & pretium tantum pro merce tantilla dare, intelligens mercator

non

non potuit. Capitis argumenti vim?... ſcio, quid dici poſſit. Ex hac ratione dicetis hoc confici, quòd anima *ex gratia* immortalis ſit, & non *ex natura*. Sed jam reſpondi: hoc mihi ſufficit, & perinde eſt! quid deinde? diſcetis dici poſſe, quòd hanc immortalitatis *gratiam* Chriſtus *ſolis probis* meruerit, atque ita proborum quidem gaudia, non item ſupplicia reproborum *æterna* fore. O turpe, ô miſerum, ô inane ſolatium! jam enim vel per hoc, quòd redigaris *in nihilum*, nónne *pœna damni* hoc eſt, æternæ felicitatis jactura *æterna* erit?... Sed non, non erit hoc ſolatium, non redibis in nihilum, homo impie: nam qui *pro omnibus* mortuus eſt, ut omnibus *vitam æternam* compararet, *æternâ etiam pœnâ ſenſûs* infinitæ gratiæ, & infinitæ gloriæ furioſum contemptum meritò vindicabit, cùm dicet: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum!* ... Matth. 25. Itaque haud dubiè ita eſt, ita eſt: datur poſt hanc vitam vita alia: anima nunquam, nunquam moritur! *Mors eſt initium æternitatis!* ſententia non modò probabilis, ſed *ex ratione* evidens, *ex fide* certa, & ex conjunctis utriusque principiis ad oculum demonſtrata eſt: *Mors eſt initium Æternitatis!* ...

Exercitium Voluntatis. O me infelicem! ſi de veritate tanta vel dubius, vel incurius vixi!... ah! *Mors eſt initium Æternitatis*, & eſt duplex æternitas, felix, ac infelix!... ego, qui tam anxius ſum, ut bene vivam *per viginti annos*,

annos nihil angor; quomodò ſim victurus *per annos æternos!* ... Dicitur de Origene, quòd putaverit, animas omnium hominum, jam à mundi principio, unà cum anima Adami, ſimul omnes creatas fuiſſe, deinceps verò jam has, jam illas ſeriùs, au citiùs unitas corporibus... Error hic eſt ab Eccleſia damnatus; ponamus tamen: veram ſententiam eſſe, & DEum cuilibet animæ liberam dediſſe poteſtatem eligendi ſibi corpus, quod mallet, ponamus hoc quæro: quæ anima elegiſſet pro ſe corpus fœdum, morbidum, mutilum? & quæ ingredi voluiſſet corpus ruſtici ad labores damnati, corpus mancipii ſub flagris gementis, corpus mendicabuli per miſerias fatiſcentis? Certum eſt (præcipuè, ſi poſt hanc vitam alia non ſuperforet) certum eſt mihi, nullam omnino animam non omni contentione virium in id incubituram fuiſſe, ut obtineret corpus viri nobilis, viri divitis, viri potentis, corpus integrum, ſanum, pulchrum: nunquid eſt ita?.. Verùm ecce! qualis naſcar *in hanc vitam temporaneam*, non eſt in mea poteſtate: ſors fuit, non electio, quòd natus ſim in tali corpore, in tali conditione, in tali fortuna: ſic Deus *cum neſciente* diſpoſuit. At qualis naſcar *pro vita æterna*, hoc *ad ſortem* non pertinet, ſed *ad meam electionem*, ex una conditione, *ſi vis*, omnis mea felicitas pendet: *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Matth. 9. Hoc ſi nolo, væ mihi! væ mihi!... Superi! quò me illa con-

ſideratio abripit! ... *Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum.* Job. 19. Redibis ad corpus hoc, anima mea! jam hoc tibi liberum eſt, velísne hoc corpus recipere glorioſum, fulgens, immortale, beatum, an potiùs fætidum, obominabile, calamitoſum, hoc tibi liberum eſt. Deliberásne, quid malis? .... ô ſtultitia! ô inſaniſſima amentia: amentia! amentia!... Quid tamen exclamo? delibera, delibera ſaltem! utinam vel hoc impetrem demum! nam hactenus ſic vixiſti, quaſi jam eſſet deliberatum, decretúmque tibi, reſurgere in corpore damnato ad rogos æternos!... aut num adhuc *ridere* lubet ad hæc lamenta, & repetere famoſum convitium: Das ſeynd Pfaffereyen! Pfaffereyen! .... Imò ô *DEus Abraham, Iſaac, & Jacob!* tu non es *Deus mortuorum*, Matth. 22. non DEus *nihili*, ſed DEus viventium, *Deus viventium!* vivunt igitur etiam hodie Abraham, Iſaac, & Jacob! *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Jacob in regno cœlorum.* Matth. 8. Igitur *væ vobis, qui ridetis nunc!* Luc. 6. tunc enim ejiciemini in tenebras exteriores, *ubi erit fletus*, ubi ejulatu æterno veſtrum riſum luituri, ſine fine plorabitis, cum inutili gemitu: *Ergo erravimus! ergo erravimus!*.. nempe pronuntiata æternæ Sapientiæ non ridentur impunè, non ſunt nugæ, figmenta, næniæ, Pfaffereyen! Time, anima mea, time, non dico, time eos, qui occidunt corpus,

&

& *poſtea* non habent ampliùs, quod faciant: ſed eum time, qui *poſtquam occiderit*, poteſt & corpus & animam *perdere in gehennam*. Matth. 10. Ita dico tibi, hunc time! time... At verò DEus mortuus! ecce! ex cruce pendet! ergóne DEum Crucifixum, DEum mortuum jubemur timere, ita DD. Sodales, ita DEum mortuum jubemur timere, & *propterea*, quia mortuus eſt! ſi mortuus non fuiſſet, fortè adhuc diſputari utcunque poſſet: *an hominis anima ſit immortalis!* ſed poſtquam pro anima mortuus eſt DEus, etiam contumaciſſimi, impoſito ori digito, obmuteſcunt, & trepidant ad mortis memoriam, non tam, quia eſt *finis temporis*, quàm quia vident evidenter: quòd ſit *initium Æternitatis.* O terribilis veritas! huc, huc proſtrati ad crucem, precemur nobis felicem tranſitum à tempore in æternitatem!

COLLOQUIUM.

S*Tatutum eſt hominibus, ſemel mori.* Hebr. 9. Probo ſtatutum, DEus, qui tu es vitæ, ac mortis Dominus! ſubjicio me lubens communi legi, moriar, quo modo, ubi, & quando jubes! Ite in tenebras oculi, toties hac ſolis luce abuſi ad ſcelera! in tumulum aures tot mundi tumultibus ſemper patulæ! in carcerem, in compedes manus & pedes mei, noxiæ libertatis tam perditè avidi! putreſce lingua in offenſam DEI & proximi toties, tam improvidè audax! corrue in pulverem cor tot idolorum infame delubrum, quot creaturas

contra Creatoris voluntatem ſceleratè amâſti! adeſte ſerpentes, bufones, vermes! veſtra eſt eſca corpus hoc, arrodite, devorate! ſic bene! quantumcunque corpori malè fiat, approbo: bene fit! *digna factis recipio*, Luc. 23. Sed animam, animam, Servator mi, in manus tuas commendo! veniſti in *regnum tuum*, quod animæ tuæ immortali magnis laboribus, & ærumnis comparâſti, inde *memento mei*, Domine mi! *memento*, quòd anima mea ejusdem planè naturæ ſit, cujus eſt tua, rationalis, ſpiritualis, immortalis: ſicut tua! *memento*, quòd oportuerit, te ipſo teſte, Luc. 22. hæc pati te, æquè ut meam, atque ut tuam animam beatam faceres! *memento*, ut, cùm aderit *finis temporis*, trepidè proſpicienti *initium æternitatis* non obliviſcaris dicere: *hodie mecum eris!* ô verbum bonum, verbum optabile! Verùm heu me! ſi fortè audiam: *Diſcede à me in æternum!* heu me! ... quò abibo! mortem, Domine, mortem non timeo: *mori*, malum non eſt: malum eſt *mori malè! ab hoc malo per tuam mortem libera me Domine! ... Pater noſter.*

REFLEXIO.

SEdeamus... Quid *ad praxin* concluditis ex hac Meditatione, DD. Sodales, quid *ad praxin?*... Hoc enim ſemel notare vos velim, oportere, ut cujuslibet Meditationis pretium judicetis ex fructu *ad praxin*. Itaque *in Exercitio intellectûs ſubtilia* ſpeculari, eſt meditari *doctè*, ſed non eſt meditari *utiliter*, quia ejusmodi

Digitized by Google

modi ſpeculatio parùm ſervit ad praxin. *In voluntatis exercitio* multis & variis affectibus ſe impendere, eſt meditari *ſuaviter*, ſed non eſt meditari *utiliter*, quia multi affectus, & varii, quàm facilè naſcuntur, tam facilè intereunt, quod videmus in affectibus fœminarum quantumvis piis, ferventibusque contingere. Si fructum velimus, *qui duret*, præſtat, ut *uni affectui* excitando vires omnes impendamus, aut certè, ſi plures ſponte ſe moveant, illos ipſos ordinemus ad *unum* urgendum, ſed nempe ad talem, qui firmam radicem habeat, ex qua diu vivere, & ſe alere poſſit, hoc eſt, qui non ex qualicunque diſcurſu, ſed ex *ſolida ratiocinatione* ſit natus... Propterea, ſicut herì toto die *in uno affectu doloris* occupavi vos, ita hodie *ad unum affectum timoris* omnia exercitia ordino, & craſtinum *in uno affectu amoris* agemus. O faciat DEUS, ut tres iſti affectus profundas hoc Triduo radices agant! videbitis, quàm admirabilem *in tempore ſuo* laturi ſint fructum *ad praxin*... Ex eadem cauſa *non multis vos piis propoſitis* ſive diſtraho, ſive obruo: ah! ſufficit, abundè ſufficit, ſi *unum* ſervetis, quòd ſtudiosè non in ipſis meditationibus (ne affectum diſſipem) ſed poſt ſingularem finem, & herì ſuggeſſi, & porrò ſuggeram, illúdque particulare, ac practicum. Atque hoc dico eſſe, *meditari utiliter*, ne quis fortè à vera bonæ Meditationis idea non ſine ſuo damno alienum ſibi conceptum formaverit, animam

ſenſitivam meditationis *præ rationali* complectens... Nunc, unde amore boni veſtri, paulùm digreſſus ſum, redeo ad quæſtionem: quid ad praxin concluditis ex Meditatione de morte, *quid ad praxin?* ... Ecce! Mors eſt *finis temporis*: mors eſt *initium Æternitatis*: conſequentia practica ex his præmiſſis planè obvia eſt: ergo, *dum tempus eſt*, debeo me præparare *pro æternitate*. Inſigne propoſitum, ſed *nimis genericum*, ideoque nondum ad fructum ſufficiens. Particularizemus, ut ita loquar, *particularizemus!*.. Quæ eſt igitur bona præpa-paratio ad mortem? Certè bonus uſus temporis, nam ex eo pendet felicitas *æternitatis*. Quis verò eſt *bonus uſus* temporis? puto, quòd ſit *uſus boni ordinis*, utpote per quem fit, ut nullum tempus pereat malè. At, quis certum ordinem diurnum omni hominum generi congruum excogitabit? excogitavit ratio, & probat fides. *Diſtribuite diem in tres partes*, non dico, *in tres æquales*, ſed prout cujusque vires, conditio, officium admittunt, *in tres partes*: & date partem *animæ*, partem *negotiis*, partem *corpori!* Euge! éſtne vir ſapiens, qui contra hoc conſilium vel muſſitet quidpiam? ſi quæritis, quantum temporis tribuendum cuilibet ſit? dico, quantum prodeſt, vel ſaltem non obeſt ad vitam æternam. *Quid hoc ad vitam æternam* prodeſt, vel obeſt? ſic interrogabat ſe Sanctus Aloyſius in omni dubio, & *ex hac regula*, quid agendum, vel omittendum

eſſet,

eſſet, decernebat. Utamur eâdem nos: hæc optima praxis eſt bonæ præparationis ad mortem.

Attamen conatui noſtro curandum eſt, ut faveat gratia: *gratia bonæ mortis* meritum eſt mortis Chriſti, *mors Chriſti* repræſentatur in Miſſa, quam ipſe in ſui commemorationem inſtituit. Concludite, an alia devotio, ad impetrandam bonam mortem efficacior ſit, quàm devota auditio Miſſæ, cum tenera recordatione *dolorum*, quos tulit moriens DEus, ne homo pateretur poſt mortem. Eſto igitur hujus diei

EXERCITIUM II.
MISSÆ SACRIFICIUM.

SUrgamus! ... heri unam, hodie alteram methodum doceo, devotè audiendi Miſſam. Nempe huic Sacrificio ſanè cum maxima devotione nos decet aſſiſtere! nam ſi ſub noſtræ Religionis *præcipuo exercitio* devoti non ſumus, quando erimus? ... Ergo agite: peregrinemur animo Hieroſolymam, & cruentam tragœdiam in exhibitione incruenta nos ſpectare putemus. Tres actus exhibitio habet, 1mus *antecedentia* mortis Chriſti in memoriam revocat, 2dus *concomitantia*, 3tius *conſequentia.* Flectamus

ANTECEDENTIA MORTIS CHRISTI.

ECce! procedit Sacerdos ad altare, & Chriſtus in hortum Oliveti. Ibi preſſus pondere noſtrorum peccatorum, inclinatur ... Affligitur ad agonem ... ſanguinem ſudat ... Inter cætera peccata, JESU mi, vidiſti etiam mea! *Confiteor*! ...

Sacerdos aſcendit ad Altare .. oſculatur aram ... procedit ad cornu epiſtolæ ... redit in medium ... rurſum ad latus ... tandem ad Evangelium ... Exhibetur raptatio Chriſti ad varia tribunalia, ex horto ad Annam, ab Anna ad Caipham ... à Caipha ad Pilatum .. à Pilato ad Herodem .. ab Herode rurſum ad Pilatum .. ubique ſibi ſimilis eſt: illuditur, accuſatur, damnatur; neque tamen ſe turbat: ore & opere ubique oſtendit, qui ſit ... ô exemplum heroicum! ... Conformemus nos Chriſto palam, palàm revereamur legem Chriſti, ſurgamus, & dicamus cum Paulo: *Non erubeſco Evangelium*! ... Rom. 1. & cum Chryſoſtomo: *Chriſtianus ſum, Chriſtianus nihil, niſi peccatum timet* ...

Offertorium exhibet nobis Chriſtum, morti ſe offerentem pro nobis. Stat vinctus, conciſus flagris, coronatus ſpinis ad tribunal Pilati ... poſtponitur Barrabæ ... traditur voluntati furentium ... Fruſtra lavas manus, ſceleſte Judex, fruſtra jactas: *Innocens ego ſum à ſanguine*

guine Juſti hujus.! ... Matth. 27. Quis verò noſtrûm heu! quis noſtrûm eſt innocens? ... ah! *Orate fratres*, orate, ne fructus Divini Sanguinis in nobis pereat!... Atque hæc ſunt *Antecedentia* Mortis Chriſti. Nunc contemplabimur

CONCOMITANTIA.

SAcerdos clamat: *Gratias agamus Domino DEO noſtro*, & ad hunc finem omnes Cælites in ſubſidium vocat, ut laudent DEum, clamantes: *Sanctus, ſanctus, ſanctus* !... contrà, tota Jeruſalem concurrit in Chriſti dedecus, & clamat: *Crucifige*, *Crucifige*! ... Cruce onuſtus Dominus rapitur in Calvariam ... in via mulieribus dicit: Luc. 23. *Nolite flere ſuper me*, *ſed ſuper vos ipſas flete*! vult, ut non tam de ſua Paſſione, quàm de ſuæ Paſſionis cauſa, de peccato fleamus ... non flentibus minatur *judicatus*, quid facturus ſit *judicaturus contra ligna arida*, nullis rigata lacrymis. Huc ergo pertinet hodiernum lacrymabile ſuſpirium: *Cùm veneris judicare*, *noli me condemnare*! ... & en! attollitur S. Hoſtia, & Chriſtus in Cruce! extollamus clamorem, tundamus pectus! dicamus cum gemitu: *DEus crucifixe*, *DEus crucifixe*, *noli me condemnare*... Attollitur ſacer Calix: notatur effuſio Sanguinis de Cruce defluentis: adoremus! advolvamus nos Cruci, ut fluat ſuper nos, & *ſuper nivem dealbabimur!* O Pater cœleſtis, *ſit Sanguis ejus ſuper nos!* at non

clamet *contra nos!* ... Et tu, bone JEſu, ſicut mortuus es pro omnibus, ita *nobis quoque peccatoribus* propitius eſto! dolentibus, emendationem ſpondentibus, *propitius eſto!*..

Pater noſter, uti ſeptem petitiones habet, ſic ſeptem verba Chriſti de cruce in memoriam revocat. Ego mihi verbum ultimum ſeligo, & per ſanctiſſimam mortem tuam hoc oro te, JESU mi, ut moriens olim dicere *cum vera fiducia* audiam: *In manus tuas commendo ſpiritum meum!*...

Frangitur S. Hoſtia, & particula immittitur Calici. Significatur ſeparatio animæ à Corpore Chriſti, & deſcenſus in limbum. *DEus mortuus eſt!* obſcuretur ſol, ſcindatur terra, diſſiliant petræ! DEus mortuus eſt, & *pro me peccatore!*... Ah Agnus DEI pro me laniate!.. pro me occiſe!... miſerere!.. Hucuſque vidimus Mortis Chriſti concomitantia: ſuperſunt conſideranda

CONSEQUENTIA.

COmmunio Sacerdotis exhibet ſepulturam Chriſti, offeramus pro ſepulchro cor, ſed purum, ſed novum. Dicamus illi cum Auguſtino: *Poſſide me!*... & cum Ignatio: *Suſcipe univerſam meam libertatem!* reſurge in me! ut poſthac vivam ego, *jam non ego*, vivas autem tu in me! tu in ore meo, tu in moribus meis, tu in corde....

Poſt-

Poſtcommunio, ſeu gratiarum actio repræſentat jubilos Patrum limbi, cùm Chriſto reſurgenti applauderent. Animemus nos bona ſpe, nam ſi *in novitate vitæ ambulabimus*, reſurgemus etiam nos ad novam, in qua dicetur nobis: *Quoniam bene*, Iſ. 3. æternùm bene! *repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo!* Job. 16. Væ infelici, quem decipit falſa ſpes!...

Benedictio Sacerdotis benedictionem repetit, quam Chriſtus in cœlum aſcendens Diſcipulis impertivit. Formatur Crux, quia premenda ſunt Crucifixi veſtigia. O trahat ille nos poſt ſe! & aſcenſionem ejusmodi det omnibus bonis (nemo excludatur, nemo ſero veniat) aſcenſionem ejusmodi det omnibus, omnibus nobis, DEUS ter Opt. Max. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus!...

En, DD. Sodales, hoc eſt implere Chriſti præceptum, quod impoſuit nobis, cùm hoc Sacrificium inſtituit dicens: Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem!* O bona commemoratio! nam credite mihi, qui ſæpe *cum tenero affectu* ſic memor eſt Chriſti mortis, habebit moriens Chriſtum memorem ſui. Verumtamen *Reſolutio* ſe præparandi ad mortem, quæ hodiernæ Meditationis fructus eſt, debet *in tempore* executioni mandari, quod ut facere velitis, favente Chriſti gratia, efficiet

EXER-

Digitized by Google

EXERCITIUM III.
CONSIDERATIO
De Procraſtinatione Emendationis.

SEdeamus... Procraſtinatio vitium commune eſt omni ætati. Optimæ *Reſolutiones* paſſim fiunt ab omnibus; ſed Reſolutionum *Executionem* differunt *Juvenes* uſque ad ſuæ conditionis & ſtatûs mutationem, differunt *Viri* uſque ad opportunam, ùt ajunt, occaſionem, differunt *Senes* uſque in ultimum morbum, differunt demum plerique omnes, donec urgeat vicinæ mortis periculum. Ita perpetua aut *peccatorum*, aut certè relapſuum continuatio, & quæ inde naſcitur obſtinatio contra omne remedium, temeraria ſecuritas, infelix mors, æterna damnatio. Certè ego mortis bonæ, à qua pendet bona æternitas, *impedimentum præcipuum* eſſe judico, hanc ſeriæ emendationis Procraſtinationem: propterea dico, DD. Sodales, etiamſi herì vehementiſſimè de vita malè acta dolueritis, etiamſi hodie ad ſuſcipiendam morum correctionem *firmiſſima reſolutione* vos excitaveritis: niſi etiam hodie *Reſolutionis Executioni* ſaltem primam manum admoveatis, timeo, ne nihil fiat, & vos, ô peccatores, *in peccato veſtro moriamini.* Jo. 8. Quàm juſtus ſit meus timor, intelligetis, ſi conſideraveritis 1. Quanta ſit in Procraſtinatione *malitia.* 2. Quanta *ſtultitia.* Conſiderate.

PARS

PARS I.

Procraſtinationis Malitia.

FInis hominis eſt, & *obligatio perpetua*, DEO ſervire: ad hoc adſtringimur ſicut *in omni loco*, ita *pro omni tempore*, non datur exceptio. Ponite jam, eſſe aliquem, qui dicat: *In templo* volo DEO ſervire diligenter: ſed in *foro*, *in cubili*, *in hortis* volo, ut liceat mihi, quod libet agere! cohorreſcetis, & homo impie: dicetis, quæ hæc effrons audacia eſt! túne contra DEum excipere! *in templo* ſervies: *in foro* non ſervies? Quid? DEúsne, qui eſt Dominus tuus *in templo*, non etiam eſt Dominus *in foro?*... Laudo zelum: juſta exprobratio eſt. Sed verte, obſecro, verte iram adverſùm te, quisquis hucusque procraſtinâſti converſionem ad DEum. Dixiſti: *Juvenis ſum!* cùm adolevero, ad DEO ſerviendum accingam me ſeriò: nunc utar annis vernantibus ad delicias, quæ mihi placent ... *liber ſum!* poſt annos aliquot ùt maritus, aut Sacerdos, aut Religioſus, hoc eſt *in vinculis* ero: tunc de rebus ſeriis cogitabo... *ætas vegeta*, vires bonæ ſunt: laborandum eſt modò pro familia: curæ innumeræ, negotia officii, ratio ſtatûs modò omne tempus rapiunt ſibi: *cùm ſenuero*, vacabo animæ... Homo impie, quæ hæc effrons audacia eſt; túne contra DEum excipere? *poſt annum* ſervies, *hoc anno* non ſervies? quid? DEúsne, qui eſt Dominus tuus

poſt

poſt annum, non etiam eſt Dominus *hoc anno?* & cui debes ſervire ſenex, Juvenis non teneris? Age, proba jus exemtionis! oſtende privilegium: neutrum ſi potes, convici, quòd ſis *rebellis!* Superi! quæ malitia! ... neque tamen eſt ſimplex, ſed, ùt Jura vocant, *qualificata* malitia illa, cujus deteſtatio procraſtinatur. Sinite, ut iſtas qualitates enumerem.

Dico 1. In procraſtinantis malitia continetur *malitioſiſſima cæcitas*, quia non craſtinaret emendationem, niſi ſtudioſè averteret oculos à conſideratione miſerrimi ſtatûs, in quo verſatur homo reus peccati mortalis. Nam quis explicet, quàm calamitoſa rerum mutatio contingat in animo hominis illo momento, quo committitur peccatum mortale? dicam obiter aliquid. Ecce, DD. Sodales, *ante peccatum* animus hominis hortus eſt, in quo DEus deliciatur: ibi plantat frugiferas arbores, ibi ſerit roſas & lilia, ibi excitat fontes, imperat Zephyris, fruitur umbrâ, recreatur odoribus. *Per peccatum* hortus in fimetum ſe vertit: irruit aper de ſylva, ſpem evertit, calcat flores, ſuffodit arbores, ſterile ſolum relinquit, in quo, niſi celeriter reſtituas cultum, ſpinæ ac urticæ immensùm ſuccreſcent. *Ante peccatum* animus hominis ſimilis navi eſt onuſtæ multis mercibus, & inter plauſus ſiderum plenis velis ad Inſulas fortunatas ſe admoventi: *per peccatum* impingitur ſcopulo, merguntur opes, circumagitur à fluctibus naufragus

navi-

navita; incertus, an obtenturus ſit tabulam, in qua ad litus ſemimortuus enatet. *Ante peccatum* anima ſponſa eſt Spiritûs S., quam ille ſæpe *introducit in cellam vinariam*, Cant. 2. & ſpiritualibus deliciis velut inebriat: *per peccatum* fit adultera diaboli, & â Sponſo repudiata, ad ruſtici mapalis miſerias, unde venerat, amandatur. *Ante peccatum* animus eſt ùt lætus Adam in Paradiſo, Filius herilis in domo patris, felix Amanus in Aula Regis: *per peccatum* ejicitur in exilium ad labores, damnatur inter porcos ad ſiliquas, velato capite rapitur ad patibulum. Tanta fortunæ mutatio, quem non acerbiſſimè afficiat, ſi mentem advertat? & quis non advertere facilè poſſit? qui advertit autem, quomodò de remedio cogitare procraſtinet? igitur *malitioſæ cæcitatis* effectus, Procraſtinatio eſt.

Dico 2. In procraſtinantis malitia continetur *impudentiſſima crudelitas*: aut, ſi malis, *crudeliſſima impudentia.* Quem offendiſti peccando, eſt amantiſſimus Pater, optimus Dominus, maximus Princeps: *offenſus* prior hortatur ad deprecandum, ſpondet veniam, gratiam offert: paratus eſt *hodie* reconciliari filio degeneri, perfido famulo, viliſſimo mancipio, & filius dicit: *hodie non lubet!* famulus: *cras redibo!* mancipium: *poſt annum cogitabo!* Quis hoc audit, & ad tantæ crudelitatis, & impudentiæ monſtrum non ſtupet? non excandeſcit? non lamentatur?...

Dico

Dico 3. In procraſtinantis malitia continetur *terribilis Acedia*, & neglectio bonorum vitæ futuræ. Quamdiu vivis in miſerrimo ſtatu peccati mortalis, quidquid bene agis, nihil tibi prodeſt ad cælum. Omnia opera tua *opera mortua* ſunt, & nullum meritum habent. Hìc computum fac, quanta bona pereant tibi malè, ſi per menſem procraſtines pœnitentiam. *In tempore* fortaſſe, remunerationis aliquid bonus DEus largietur: ſed *pro æternitate* fruſtra tot preces feciſti: fruſtra dediſti eleemoſynas, fruſtra adminiſtrâſti juſtitiam malè oppreſſis: fruſtra pro Principe, pro Patria, pro Reipublicæ bono gravibus laboribus diu noctúque te fatigâſti: fruſtra per heroicam patientiam æmulorum invidiam, & injurias inimicorum fortiter toleraſti: fruſtra adverſos caſus, morborum dolores, charorum mortes, infortunia domûs, moleſtias tempeſtatum, & quidquid ferre vel Jobus poſſet, æquo animo ſuſcepiſti: quin, etſi pro ſancta fide ad tormenta Martyrii corpus tuum tradideris, *ita ut ardeat*, nihil tibi proderit!... 1. Cor. 13. Amice, obſecro, computa, quantum ſit *lucrum ceſſans tuum*, vel uno menſe! ô terribilis acedia!...

Dico 4. In procraſtinantis malitia continetur *execrabilis vilipenſio DEI.* Qui Principis ſui gratiâ fortè excidit, nullum admittit ſolatium, ex quo dolor ſe mitiget, nullum omittit

tit conſilium, quod malo remedium ferat, omnem moram abrumpit, cùm placandi Domini ſe offert occaſio: nullæ curæ, nullum negotium, multò minùs nugæ, aut ludi retinent: cura una, negotium ſummum, votum ardentiſſimum eſt: *utinam facere poſſim, ne mihi meus Princeps iratus ſit diu!* cur? *gratia* Principis nimirum æſtimatur, & *ira* metuitur. At ecce! qui gratiâ DEI excidiſſe ſe ſciunt, rident, ludunt, convivantur, velut malum nullum paſſi eſſent, aut, quaſi *inimicum habere DEum*, noſtrâ nihil referret; quin ſunt etiam, qui de redintegranda celeriter amicitia non modò non cogitant, ſed etiam, quòd non cogitent, palàm gloriantur, & jactant. Itaque qui poſt offenſam *citò* veniam orat, *Sanctus* putatur: *adeò rarus eſt!* tanti eſt nobis, magne DEus, tanti tua Majeſtas, tua gratia, tua ira! & tu pateris? *Bibimus ſicut aquam iniquitatem*, & ore deterſo dicimus: *quid tum?* & tu pateris? tu pateris tantum contemptum tui, tantam vilipenſionem tuæ gratiæ, & *tamdiu*?.. Neſcio, quid magis mirer, tuam patientiam, an noſtram audaciam!...

Dico 5. In procraſtinantis malitia continetur denique *ſacrilega Caini avaritia*, impiè ſacrificantis DEO de vilioribus fructibus terræ, ut pinguiores ſibi ſervaret. Eheu! annos juveniles, ætatem vegetam, integras vires mundo, carni, dæmoni immolamus, & pauculos dies, frigidum ſenium, languens cor-

puſculum DEO dicabimus! quid putamus? an æqua diviſio eſt? cui vitam ſoli *totam* debemus, conſignamus *partem modicam*, eámque *peſſimam*, ubi ratio? ubi conſilium? ubi Religio eſt? ubi reverentia Domino dominantium debita?... Videte nunc, an malè procraſtinationis malitiam *qualificatam* vocârim. Sed non minùs *qualificata* ſtultitia eſt, quod modò videbitis.

PARS II.

Procraſtinationis ſtultitia.

TRes procraſtinantium claſſes diſtinguo: in prima ſunt, qui vitæ emendationem, adeóque pœnitentiæ, non dico, *Sacramentum*, ſed etiam *exercitium*, nempe actum. perfecti doloris differunt in craſtinum, ſtulti! in altera, qui differunt *diutiùs*, ſtultiores! in poſtrema, qui differunt *usque in poſtremum morbum*, ſtultiſſimi! Audite, num, quod aſſero, de ſingulis probem? Incipio à primis.

Parabolam de decem Virginibus ſæpè audiſtis: dicite, cur quinque illarum vocantur *fatuæ?* nempe quia improvidæ fuerunt, nec tantum olei tulerunt ſecum, quantum pro omni probabili caſu ſufficere poterat. Sic eſt: reprehenſionem meretur hæc incuria, & *imprudentia* vocari poteſt: *fatuas* tamen propptereà appellare non auſim. At verò ſtudiosè, & ùt videtur, ad corrigendam hanc imprudentiam,

moram

Digitized by Google

moram faciente Sponſo, dormitaverunt omnes, & dormierunt, omnes, hoc eſt nimiùm! dormiant, *quæ paratæ erant*: quæ non ſunt paratæ, *utantur mora Sponſi*, & parent ſe! hoc prudentia imperat. Neſcire, *qua horâ* venturus ſit Sponſus, & tamen dormire ſine cura, *quaſi paratæ eſſent*, hæc erat *vera fatuitas*, hæc imago *ſtultitiæ*, de qua arguo homines, qui pœnitentiam *internam etiam*, ſive doloris perfecti exercitium differunt *in craſtinum*, & hodie placidè dormiunt, quamvis rei, *& ſibi conſcii certi peccati mortalis*. Dic enim, homo audax, ſi hac nocte morereris, ubi cras evigilares? non moriar, inquis: ſæpè jam in ſtatu peccati mortalis dormivi, neque tamen in ſomno *aliquid accidit mihi triſte*. Felix es! verùm ſi aliquid *accideret*! hodie, dic, age, ubi evigilares? *nihil accidet! nihil accidet!* atqui multis aliis, poſtquàm diu accidit nihil, tandem, cùm minimè putârunt, accidit grave malum. *In ſomno accidit* Siſaræ, ut tempora clavus pertunderet, *accidit* Samſoni, ut robur perderet, *accidit* Holoferni, ut caput amitteret, *accidit* ſeptem maritis Saræ, ut ab Aſmodæo ſuffocarentur, accidit centum octoginta millibus militum Sennacheribi, ut nocte una omnes percuſſi ab Angelo morerentur, & adhuc *accidit quotidie*, ut aliquos *mors repentina* abripiat: negas? Scio, inquis, ſed mihi, DEO ſint laudes, mihi hucusque planè *nihil accidit*. O ſtulte! ergo tu *expectas*, donec etiam tibi accidat tale malum?

& quid eſt *hoc expectare*, quàm expectare infernum? *nihil accidit*! dic: nihílne ſaltem accidere potuit?... potuit utique, & poterit deinceps: ſed hodie, *non puto*, quòd ſit periculum, optimè valeo!... *non puto!* ô dignum fundamentum, cui animæ æterna ſalus ſuperſtruatur! Sed do tibi hoc, quòd hac nocte non ſit periculum proximum, cui expoſitus ſis; at propinquum, certè *remotum* eſſe non negabis; eſt enim certum, *fieri poſſe*, ut hac nocte *moriaris*. *Poteſt fieri*, quid tum? hoc tum: ergo fieri poteſt, ut hac nocte *damneris*. Certè etiam hoc *fieri poteſt*: quid poſteà? hoc poſteà: ergo *ſtultus es*, ſi vel ſemel dormias in ſtatu peccati mortalis; profectò enim hominis ſani non eſt, periculo miſeriæ æternæ *quantumvis remoto*, deliberata voluntate, exponere animam unicam, ſuam, immortalem!... Age enim, quando cubitum concedis, nunquid obſeras ciſtam, & fores claudis? utique. Cur verò? nempe ut ſecurus ſis ab inſidiis latronum, & furum. Quid? ſcisne tu eſſe furem, qui tibi inſidietur? non ſcio, ſed *prudentis eſt*, in ſuis rebus *etiam contra fortuitos caſus* providè agere. Si dormirem apertô oſtiô, & ſic dormientis domum *fortaſſe* fures expilarent, quis mihi compateretur? quis non ùt ſtultum rideret?.... O boni Cœlites! qui dormit apertô oſtiô, *ſtultus* dicitur, & qui dormit in ſtatu peccati mortalis, *ſapiens* ſit!... clamat conſcientia: *reus es!*... anteqàum dormias, elice dolorem perfectum cum propoſito proxi-

proximè confitendi!.... Mors, Chriſto teſte, venit ſicut fur de nocte! fortè *hac nocte* tollet animam tuam! & ſi tollet, ubi eris cras!... tu rides, & oculos in ſomnum componis! appello omnem intellectum bene diſpoſitum, ut judicet, an non hæc ſit palmaris ſtultitia?... quando eſt periculum *etiam remotum* perdendæ pecuniæ, dormire *quietus* non potes, niſi fores fortì ſerrâ probè contra fures munieris; & *in periculo animæ*, ſi non majore, certè æquali, incurius in lectum proſilis, faciléſque ronchos in multam diem ſecurus trahis! Ah! ſecurus! *ſtultiſſimè temerarius*, dicere debui: de anima enim, non de pecunia, de anima agitur, & *ex uno non fortuito caſu* pendet Æternitas, *ex caſu Æternitas!*... audite ſtulti, quod Sapientia monet: *vigilate, quia neſcitis diem, neque horam!* Matth. 24. Si dormientes oppreſſerit mors, fruſtra damnabitis inſanam audaciam, & inane erit lamentum: *non putâſſem!* ergo *vigilate!* ex caſu pendet Æternitas, *ex caſu Æternitas!* ſapite!... *vigilate!*...

Verùm ſi ex caſu pendet Æternitas, & propterea ſtultitiæ rei ſunt, qui vel ſemel dormiunt in ſtatu peccati mortalis, obſecro, quid de ſe ſentiunt, qui non unum diem, ſed hebdomadas, menſes, annos integros agunt, rei graviter læſæ Majeſtatis Divinæ, nec tamen de reconciliatione ſolliciti? quàm multis iſti *caſibus* negotium ſuæ Æternitatis objiciunt!... Scio, quòd Theologi doceant, non obligari

hominem *per ſpeciale præceptum*, ut poſt commiſſum peccatum agat pœnitentiam *ſtatim*, atque adeò *in procraſtinatione*, ſi ſit pura omiſſio celeris de peccato doloris, non contineri *novum peccatum mortale*; attamen hæc doctrina non opponitur meæ ſententiæ, quòd ſtultè agat, qui non citò retractat peccatum, tantúmque creſcat ſtultitia, quantum mora protrahitur; nempe quia, quò diuturnior dilatio eſt, eò pluribus caſibus, periculíſque ſalus exponitur. *Extra nos* quanta mala circumſtant! eripere homini vitam nemo non poteſt, etiamſi mille tueantur ſatellites. *Intra nos*, quis ſcit, quid agatur? ſenſim ſine ſenſu, quin advertamus, naſcitur malum, nutritur ab ignorantia, contemptu creſcit, & fortè jam nunc vita noſtra vix ex putrido filo pendet. Solus DEus *à repentino interitu* ſervare nos *poteſt*, quem ſi eſſe nobis *inimicum* ſcimus, quæſo, qua prudentiâ ſperamus, quòd ſervare nos velit? *Bonus eſt DEus*, inquies, & ex multis periculis ſalvum eripuit, domi, foris, in itineribus, in venationibus, in duellis, in præliis, & ab inſidiis, à fraude, à vi, navigantem, equitantem, dormientem! ſemper evaſi feliciter!... Equidem gratulor toto animo, nam aliàs jam diu infelix æternùm eſſes. Profectò bonus eſt DEus, ſed utique *non ideo* bonus, ut tu tantò audaciùs malus ſis! quot pericula ſubiîſti, tot monita ſunt quibûs bonus DEus te urget, ne tardes ultra converti ad ſe, quia, quem ſæpè præte-

riit

riit infelix caſus, tandem opprimet, & qui erit caſus proximus forte fatalis erit. Quoties inter illa diſcrimina non es mortuus, toties mori poteras, toties in extremo margine præcipiti ad inferos ſtabas, & necdum ſapis? ter, & quater à Juſtitiæ Divinæ executoribus trahebaris ad patibulum, jamjam devolvendus à ſcalis: miſericordia, ut reſipiſcere poſſes, conceſſit inducias; & tu induciis datis ad pœnitentiam uteris ad novas offenſas, hoc argumentô animatus: *ſæpiùs dimiſſus ſum ex mortis manibus, ergo rurſum dimittar!* ô fallax conſequentia! ô ſtulta concluſio! prudens Logicus contrarium infert: *Ergo ſperare non poſſum, quòd rurſum evaſurus ex periculo ſim, quod forte proximè imminet*; DEus enim non irridetur, & incorrigibilem denique, cùm minimè metuit, corripit, non ad remedium, ſed *ad exemplum*, ut, qui talium facta imitari non metuunt, ſaltem exitum perhorreſcant.

Quanquam ô quàm fallimur! fateor enim, ſæpè fieri, ut qui ad extremum uſque morbum *impiè* vixerunt, *piè* mori videantur; ſed hoc *videri* non impedit me, quin dicam, quòd, ſi ſtulti ſunt, qui emendationem in craſtinum differunt, ſi ſtultiores, qui de die in diem rejiciunt, multò ſtultiſſimi ſint, qui ſtatuunt tunc demum cogitare de pœnitentia, cùm erit deſperatum de vita. Ah! quàm communis, tam pernicioſus eſt error, putare, quòd idem ſit *mori placidè, & mori bene.* Paſſim audimus

has, aut ſimiles gratulantium voces: ſint laudes Superis! quàm præter ſpem omnem iſte, & ille, cui pro vitæ parùm laudabilis conditione ſemper malè metuebamus, quàm præter ſpem ſpecioſa, quàm placida morte defunctus eſt! nihil quod exoptare ſibi homo Chriſto devotus pro felice ex hac vita diſceſſu velit, nihil deſiderabatur. Sacris omnibûs ritè munitus ſubſidiis inter aſſiſtentium Sacerdotum preces, à noxis ſæpius abſolutus, indulgentiis prætereà pœnarum, & abſolutíone generali bis, térque donatus devotiſſima ad Crucem oſcula, ad cœlum ſuſpiria creberrimè iterans, cùm candelam in Lauretana domo conſecratam manu teneret, tranquilliſſimè, velut ſi ad ſomnum componeret ſe, animam exhalavit. Propè abſum, ut invideam homini: certè non tenui me, quin ingemiſcerem: *moriatur anima mea morte conſimili!* . . . ita non vulgus modò, ſed & nonnulli de vulgo Doctorum, quibus omne argumentum, quod ſpeciem Achillis habet, Achilles eſt.

Verùm non omne, quod ſplendet, eſt aurum, nec vitrum adamas. Figamus oculos attentiùs, & fundum ſcrutemur: *in fundo veritas.* Igitur repeto: non eſt idem *mori placidè, & mori bene*: videmus enim etiam Hæreticos, Turcas, Ethnicos ſæpè *placidè mori*, neque tamen credimus, *mori bene*. Nempe *placidæ mortis* non ſola conſcientiæ puritas, ſed plures ſunt cauſæ. Una cauſa eſt *malitioſa ignorantia* rerum

rum vitæ futuræ, cujus quia ſemper neglecta conſideratio fuit, ideò morientem cura non angit: nam ignoti nulla cupido, nullus eſt metus. Alia cauſa eſt *aſtutia dæmonis*, qui, ne perdat, quos tenet, permittente DEO *in pœnam procraſtinationis*, ſolatia pia, & dulces lacrymas ciet, quibûs deceptus æger, vanáque plenus fiduciâ tranquilliſſimè moritur. Tertia cauſa eſt DEus, qui ſicut ſæpè punit leves defectus Juſtorum, quos mori jubet morte in oculis hominum terribili, ac funeſta, ſic ſæpè remuneratus quædam bona opera impiorum, mortémque concedit felicem *ad ſpeciem*, & planè optandam. Videtis igitur, *mori placidè*, eſſe rem dubiam, probíſque, & improbis non rarò communem, ut adeo neutiquam bona illatio ſit: *mortuus eſt placidè, ergo mortuus eſt bene*, niſi placidam mortem diu vita proba præceſſerit. Hæc ſi abeſt *conditio*, cæteris ſignis omnibus parùm fido, & ego profiteor palàm: malo *poſt vitam piè actam* morte ſubitanea abripi, ſterni fulmine, lacerari à belluis aquis mergi, rabie confici, quàm *poſt vitam uſque ad extremas horas actam in ſceleribus*, morte tranquilla, poſt ſuſcepta quomodocunque Sacramenta, inter Sacerdotum preces, & pia vota defungi; nam *vita diu bene acta* ſignum eſt multò certius, quòd *bona ſit mors*, quàm cætera ſigna omnia, niſi vita bona præceſſerit; ut proinde ex eo, quòd quis ultimis munitus Sacramentis placidè, ac devotè mori videatur, ne-

 qua-

quaquam, ùt jam dixi, concludi prudenter poſſit, quòd ſit feliciter mortuus, ſed timidè tantúm, & addendo: *fortaſſe! fortaſſe!* imò ita, ut *timor* major ſit *ſpe.* Nempe veritas proverbii: *qualis vita, finis ita!* ab auctoritate, ab experientia, & à ratione demonſtrata eſt ſatis. Audite.

Dico: *Nemo bene mori poteſt, niſi qui ſe ad mortem ritè paraverit.* Hæc aſſertio vel terminos intelligenti ita evidens eſt, ut nemo unquam interrogaverit, *an*, ſed omnes hoc unum, *quando*, & *quomodò* inſtituenda præparatio ſit; neque eſt alia ratio, quare ſubitanea mors vulgò infelix credatur, quàm quia nunquam homo cenſetur minùs paratus mori, ac cùm repentè abripitur. Hôc igitur ſuppoſitô, quæritur: an ille, qui uſque in ultimi morbi tempus præparationem diſtulit, tutò cenſeri poſſit *bene præparatus* obiiſſe, ſi fuerit confeſſus, ſi ſacra Synaxi refectus, ſi extrema unctione munitus, ſi dederit alia converſi ad DEum animi ſigna? Hæc præparatio vocatur *proxima*, quæ ſi ſemper ſufficit, etiam omiſsâ *remotâ*, quæ in bona vita conſiſtit, tunc vera eſt vulgi perſuaſio, quòd idem ſit *mori placidè*, & *mori bene.* Sed in hoc axe verſamus molam, an præparatio proxima, quam remota non præceſſit, prudenter videri poſſit ſemper bene fieri, & ſola ſufficere?

Atque hìc ego, etſi raro, & *per ſingulare prodigium*, quale cum crucifixo latrone contigit, con-

concedam, fieri poſſe, ut aliquis tunc primùm ſe verè convertat ad DEum, nego tamen, hoc fieri ſæpè, fieri toties, quoties aliquis poſt ſuſcepta Sacramenta placidè moritur. Neque hoc primus, vel ſolus nego; negavit pridem S. Hieronymus verbis apertiſſimis aſſerens: *de centum millibus hominum, quorum mala fuit ſemper vita, meretur à DEO habere indulgentiam vix unus!* negârunt præcipui Patres, Gregorius, Auguſtinus, Ambroſius, Chryſoſtomus, Baſilius, aliíque, quorum recitare teſtimonia longum fuerit; negant adhuc Doctores Catholici tam unanimi ore, ut hæc illorum ſententia in proverbium iverit: *pœnitentia ſera rarò vera.* Quòd ſi difficile alicui videatur divinare, cur iſta hominis morientis præparatio ſapientibus omnibus videatur *ſuſpecta* eſſe, conſideret, obſecro, *quando*, & *quomodò* fiat.

Ut à tempore incipiam, certum eſt, ab ejusmodi hominibus non ſolere fieri præparationem ad mortem *ſub initium morbi*, neque enim tunc credunt, ſe morituros, ſed nec de illa cogitant *ſub morbi incrementum;* nam tunc tota ſolicitudo eò vertitur, ut propulſetur mortis periculum. Itaque ſupereſt, ut fiat *in extremo periculo*, quando deſperatum de vita eſt, & tale tempus idoneum videri poſſit, quô homo *curis animæ nunquam aſſuetus*, ſalutis grande negotium ſeriò ſuſcipiat; dices: velit, nolit, ſuſcipiet, nam tempus urgebit. *Tempus urgebit*, ſic eſt, ſed *non juvabit*, imò impediet potiùs, qua-

quia urgebit ad feſtinandum, & *cùm feſtinatur*, certum eſt, *res ſerias vix fieri ſeriò*, hoc eſt, cum debita virium applicatione, quippe quam non permittit ſtudium feſtinandi, quô memoria diſtrahitur, intellectus turbatur, præcipitatur voluntas, præcipuè niſi *gratia ſingularis* (qualem DEus nemini debet, & talibus planè minimè) niſi gratia, inquam, impulſu fortiſſimo languentem animum ad agendum, quod debet, impellat, ac juvet. Nimirum ſi duobûs verbîs, ùt iſti jactant, perficeretur converſio, ſi ſufficeret cum David dicere: *Peccavi Domino!* fortè tolerabilis hæc procraſtinantium ſtultitia foret: ſed, poſtquàm hoc ipſum, *peccavi!* dixit *Saul*, dixit *Antiochus*, dixit *Judas*, & ſolus tamen *David* obtinuit veniam, patet, plus per illa verba ſignificari, quàm dici, & graviſſimum eſſe periculum, ne ab his, qui ita facilem ſibi fingunt converſionis laborem, denique fiat contritio ad ſpeciem, confeſſio ad ſpeciem, ſatisfactio ad ſpeciem, ac demum, quod ſequitur, ſalvatio merè ad ſpeciem, Igitur quid multa? differre pœnitentiam, donec ultra peccare non poſſis, ſtultiſſima temeritas eſt; tunc enim pœnitendi *tempus* eſt ſanè nimis breve, & *modus* nimis dubius: atque adeo qui ſapit, non differt in illam horam negotium *tam grave*, ex ſpe *tam levi*, cum periculo *tam horribili*.

CONCLUSIO.

QUanquam quid dico, qui ſapit, non differt *in illam horam!* qui ſapit, ne quidem differt

differt in diem craſtinum, quia omnis procraſtinatio ſtulta eſt, quamvis quæ diuturnior, ſtultior, eoquòd quælibet totius Æternitatis dubiam conditionem ex uno *fortaſſe* ſuſpendat. Ergo, ô boni Superi! quantum morotrophium eſt Orbis! certè ſtultè ſalutis curam procraſtinantium plena ſunt omnia. Nam eheu! DD. Sodales, ſi ponamus hac nocte in toto terrarum orbe mortuos eſſe omnes, quotquot herì cubitum conceſſerunt rei peccati gravis, quot, putatis, hac nocte fuiſſe damnatos? Numeret S. Joannes ex tribu qualibet duodecim millia ſignatorum ſignô ſalutis, nos in computandis hodie damnatis citra dubium dicere deberemus: eheu! ex Africa centum millia damnati, ex Aſia ducenta, ex America trecenta, ex Europa ſaltem quinquaginta millia damnati!... ſed quid per Orbem vagamur? maneamus Monachii. In Ægypto percuſſor Angelus una nocte circumiens omnes primogenitos occidit in omni domo, quem ſanguine Agni Paſchalis ſignatum non reperit. Fingite, eundem hodie circumiiſſe Monachii, & in omnibus ædibus peremiſſe omnes, quotquot dormiebant in ſtatu peccati mortalis, ah! quantam hodie videremus molem cadaverum, quæ audiremus lamenta, quos homines plangeremus, qui nobis huc usque viſi ſunt probi? quæ in urbe platea, quæ in plateis domus, quod in domibus cubile ſine funere foret?... & ego (nam cur diſſimulem tritiſſimam cogitatio-

gitatio-

gitationem? fortè enim ſunt multi, qui heri tota die audierunt dicentem de motivis, de praxi, de materia, de fructu perfecti, ac intenſi doloris, & tamen ſine dolore ad ſomnum ſe accinxerunt, etſi moneret cor, & clamaret: *reus es peccati gravis! dole!*) ego, inquam, quot hodie in hoc loco Auditores numerarem?... nihil reſpondeo, nihil ſuſpicor! timeo tamen, ne multi deforent! Si quis reus eſt, audiat conſcientiam ſuam, ipſa dicet illi: *ecce nunc es in Oratorio: ſi eſſes hac nocte mortuus, eſſes in inferno, eſſes in inferno!...*

O ſi quis es talis, per DEum tuum, per animæ tuæ amorem obteſtor. invigila tibi, nec ultra procraſtina! imò omnes agamus ante ſomnum deinceps ſemper, quod bonus Paterfamilias agit. Bonus Paterfamilias, priusquàm cubitum eat, ſaltem quando prudens ſuſpicio eſt latentis mali, viſitat domum, an adſint, qui ad ſe pertinent, an nemo alienus, an nullum ab igne periculum, an clauſæ fores; ſic demum *ultimus ipſe* ſe componit ad ſomnum. Ita nos quotidie ante ſomnum *faciamus examen*, &, an non deprehendamus peccatum mortale, videamus. Gravis *ſtultitia* eſt, reum dormire, non antè compunctum. Nec *malitia* minor nolle reconciliari DEO hodie, cùm hodie poſſes. Ah! Domini! hoc, hoc decernite pro veſtra ſapientia, pro illa, quam de amicitia cum DEO vel conſervanda, vel citò reparanda gerere debetis, cura,

cura, hoc decernite: *nunquam poſthac ſol occidet nobis, priusquàm reconciliati cum DEO ſi non per confeſſionem, ſaltem per verum dolorem ſimus.* Sic, ô ſic erit ſemper *felix nox*, & *bona dies* ſequetur!... Eja! num hoc perſuaſi? aut éſtne aliquis, qui nondum ſeriò procraſtinationis ſuæ ſive ſtultitiam, ſive malitiam odit? eum ego ſic interrogo: vel ſtatuiſti hoc tecum, ut *nunquam* te convertas, vel *aliquando?* ſi nunquam, ceſſo loqui: *quod facis, fac citiùs*, ne plures tecum perdas: peri! Si autem *aliquando* decretum eſt tibi pœnitentiam agere, dic, obſecro, quare non *modò?* quare non hac horâ finis eſt turpitudinis tuæ? *quare non?*... Si reſponſum prudens reddere ad hanc quæſtionem potes, reſponſum *prudens*, inquam, ecce ſileo, non urgeo ultra: ſi autem nihil, quod dicas, incidit dignum *hominis ſani ſenſu*, ah! urge te, urge, & dic: *dixi, nunc cœpi!* hodie, non cras, *hodie*, hac horâ finis ſit turpitudinis meæ! *hodie! hodie!* ſic fiat! ô ſic fiat!

& Laudetur JEſus Chriſtus! Laudetur in æternum!

EXER-

Digitized by Google

EXERCITIA
DIEI SECUNDÆ.
POST MERIDIEM.
LAUDETUR JESUS CHRISTUS!
℟. IN ÆTERNUM.

NEmo, DD. Sodales, nemo certiùs bene moritur, quàm qui *ſapienter timet*, mori malè. Nam qui timet, cavet ſalutis pericula, & adhibet ſalutis præſidia. Statuiſtis, ita per DEI gratiam ſpero, ſine procraſtinatione hodie *manum mittere ad aratrum*: cavete reſpicere retrò! dimidium facti *qui bene cœpit*, habet: ſed coronam non auferet, niſi *qui bene finit*... Ordo poſtulat igitur, ut jam de bonæ vitæ *proſecutione* ſolliciti ſimus, poſtquàm emendationis *procraſtinationem* damnavimus. Hoc modò agimus & propterea erit

EXERCITIUM I.
CONSIDERATIO
De proſecutione Emendationis.

SEdeamus... Scio, multos in hoc errore verſari, quòd Exercitiorum Sacrorum hic *ſcopus*, & *finis*, ſi non unicus, certè præcipuus, *fructus* autem abundè ſufficiens ſit, ſi à nobis impetremus *bonam Confeſſionem*. Permittamus, ut in hac perſuaſione ſit vulgus, quanquam fallatur, quòd putet, curam ſalutis in cura

con-

confeſſionis *finiri*: dedoceant, ad quos pertinet, ego Viris Nobilibus, & Litteratis dico, cùm ad Sacra Exercitia invitantur, *id agi quidem*, ut ad bonam confeſſionem diſponantur, *qui indigent*, ſed neque primariò, neque pro omnibus agi. *Non pro omnibus*, quia non omnes indigent, & plurimi ſuæ Confeſſioni generali, ſi aliquando cum diligentia morali peregerunt, meritò acquieſcere poſſunt; *non primariò*, quia Exercitiorum fructum non ex multitudine confeſſionum generalium metiuntur Sapientes (quamvis utique magni æſtiment,) ſed ex compunctione cordis *etiam de jam confeſſis*, ex ſollicita inſpectione vitæ, & obligationum, ex ſeria applicatione ad uſum mediorum definiunt. Nimirum ſolida hominis *Emendatio* tria complectitur: 1. eſt, Emendationis *ſeria Reſolutio* circa materiam convenientem ætati, ſtatui, officio. 2. Reſolutionis *acceleratè executio*, & quidem cùm particulari attentione ad tempus, locum, præcepta, virtutes, aut vitia, circa quæ plus fuit peccatum, aut apparet plus peccandi periculum. 3. Executionis *ſedula Proſecutio*, ad quem finem removenda certa impedimenta, & admovenda certa remedia erunt. Ecce, DD. Sodales, hoc eſt, Exercitia *cum fructu ſolido* facere, & poteſt hic fructus omnis ſine Confeſſione generali (niſi hæc aliis ex cauſis neceſſaria ſit) obtineri, imò *ſine omni confeſſione* apud eos, qui gravioris noxæ rei non ſunt; Exercitia enim non ſolis pecca-

toribus, ſed etiam Sanctis proſunt, *illis*, ut ex periculis ſalutis evadant, *iſtis*, ne incidant, & ut ſe in gradum altiorem virtutis promoveant. Nos *Reſolutionem Emendationis* concepimus *heri*, ita confido; nam dolor ex inſpectione vitæ malè actæ natus urgebat omnes utique, quia nemo ita innocens vixit, ut non fateri cum gemitu debeat: *Multa mala feci, parùm boni, & hoc ipſum parùm bene! ... Hodie* ſine dubio *Reſolutionis executionem* accelerare ſtatuimus, damnata *procraſtinatione* omni. Supereſt, ut curemus, ne *Reſolutionis proſecutio* hodierna ſit tantùm. *Ut duret*, hæc diſſertatio juvabit, in qua primùm Emendationis conſtantis *impedimenta* detegam, deinde *adjumenta* monſtrabo. Incipio.

PARS I.

Emendationis Impedimenta.

IMpedimentorum, quæ proſecutionem emendationis nobis difficilem reddunt, duo genera trado, alia *intra nos*, alia *extra nos*. Intra nos jam *Temeritas*, jam *Puſillanimitas* pugnant. Extra nos *verba* ſunt, & *exempla*, quæ nocent. Videamus, quantum ſingula poſſint.

Igitur *intra* nos, ut nos ultrò in pericula peccandi conjiciamus, *Temeritas* efficit; ut in periculis, in quæ non opinantes incidimus, deficiamus, facit *Puſillanimitas*. Hæc, an illa fortiùs noſtram labefactet conſtantiam, difficulter deter-

terminamus. Utraque vim formidabilem infert, quod tragici caſus in Pilato, & Petro docent.

Petrus quis fuit? magni animi Vir, Apoſtolus Chriſto inter chariſſimos, arcanorum omnium conſcius, mille prodigiorum teſtis, primus ex Diſcipulis Incarnatæ Divinitatis Confeſſor; ad omnes caſus impavidus, & in horto unus auſus, ſtrictô ferrô contra integram cohortem inſurgere. Talis, ac tantus Vir voce ancillæ territus ter ſacrilegè mentitur, pejerat, anathematizat! ô lapſum gravem! exemplum terribile! Quis proſtravit? temeritas proſtravit, Domini mei, ah! imprudens temeritas. Dicebat Chriſtus: *Omnes ſcandalum patiemini!* Petrus: *Ego non!* Chriſtus! *Ter me negabis!* Petrus: etſi neceſſe ſit mori, *non te negabo!* Chriſtus: *Simon, Simon, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum!* Luc. 22. At Petrus amplius loquebatur: *non te negabo, non, non!* neque hic ſtetit infelix temeritas. Ille, qui paulò pòſt tentationi ſomni ſuccubuit, nec potuit *unâ horâ* vigilare cum Chriſto, qui deinde, cùm miſiſſet in vaginam gladium, & vidiſſet rem ſeriò agi, jam palpitare ſibi cor ſenſerat, nec auſus fuerat, niſi *à longe*, ſequi captivum; *adhuc* poſt geminam ſuæ infirmitatis experientiam, ingreditur domum Pontificis, miſcetur militibus, ſine ulla urgente cauſa confabulatur ad ignem, nec videt, in eo ſe loco eſſe, unde longiſſimè abeſſe deberet, tanquam

à loco, in quo proſpicere poterat, locum gravi tentationi fore, & propinquum triſtiſſimi lapsûs periculum. Sed nempe Petrus, etſi fieri poſſe, ut praviter tentaretur, *prævidit*, tamen victorem ſe rediturum eſſe *præſumpſit*; hinc *illæ lacrymæ*, quibûs poſteà hanc *temeritatem* totâ vitâ amariſſimè flevit. Tanti eſt, *ſibi non fidere*, neque *ultrò* provocare hoſtem, aut in arenam procedere, ubi ille incautum expectat. *Qui amat periculum, peribit in illo*, Sapientis eſt monitum: Eccl. 3. ergo noli amare! time! fuge! ...

Attamen, quia, ſi omne periculum peccandi fugiendum eſſet, *debueratis de hoc mundo exiiſſe*, 1. Cor. 10. Ideò docent Sancti, quòd, ſicut noxia *Temeritas* eſt, qua quis ultrò ſe periculis objicit, ſic metuenda ſit *Puſillanimitas*, cùm aut *caſus*, aut *officium*, aut *ratio* nos tentationi exponit. Infelix Pilatus expertus eſt, quantum ſit malum, tentationis tempore *timidè* agere. Non ille ſe *ultro* diſcutiendæ delicatæ cauſæ immiſcuit; *ex officio* tenebatur accuſatores Chriſti audire, accuſatum examinare, momenta rerum expendere, ſententiam ferre. Ergo jam initiô obarmandum pectus fuit contra periculum, quod *fugi* non poterat; *reſolutione generoſa* dicere ſibi Judex debuit: *quod juſtum eſt, faciam!* At Pilatus ùt videt, hinc reum ſibi virum ſiſti innumeris prodigiis clarum, atque adeo totidem innocentiæ *præjudiciis* abundè, vel ſine alio advocato defenſum; inde,

de, qui accuſabant, viros eſſe dignitate, & Religione ex Judæis præcipuos, populíque jam in partes ſuas tracti incondito tumultu feroces; ſcilicet cœpit *trepidare* miſer, ſubdubitaréque, invidiæne, & odii, an ſuæ conſcientiæ clamoribus obſecundaret. Heu! actum eſt! cùm *cedere incipimus* hoſti, paulò pòſt turbatis ordinibûs fugientes, etiam terga vertemus. Animadverſô Pilati metu crevit audacia Judæis, & advertite, quò excreverit. Animi puſilli vir frigidè conteſtatur: *Nihil invenio cauſæ in hoc homine!* jámque illi invaleſcunt clamando, & turbant Præſidem, qui, ut ſe à moleſtia eximat, jubet vinctum Herodi ſiſti. Sed non eſt quies: reducitur JEſus, & redit tentatio. Eja! reſume animum, Pilate, & nunc ſaltem fortiter age! cedet furentium rabies, ſi tu non cedas. Serò adhortor, jam rurſum ceſſit! Chriſtum dimitti, an Barrabam vellent, interrogavit; poſtulatus eſt Barrabas, & dimiſſus; peccatum grave, ſed necdum ſummum! Audite interrogationem novam, & nova præcipitia. *Quid*, inquit, *quid igitur faciam de JEſu?* Superi! hæc vox eſt Judicis! ... clamatur: *Tolle! tolle! tollite eum vos*, ait Pilatus, *& judicate ſecundùm legem!* ô cœlum, quò ſe projicit Romanus Præſes! quàm turpiter ſuæ dignitatis auctoritatem proſtituit! ... Judæi reſpondent: *Nobis non licet occidere quemquam:* tu, tu *crucifige! crucifige!* ... vah inſolentiam vilis turbæ! & neque

Digitized by Google

nunc ſaltem ignavus Judex in nobilem iram ſurgit, ut audaciam inſanæ plebis compeſcat? ubi ſunt præſidiarii milites? ubi arma? ubi lictor? ubi faſces? Imò convocata adeſt univerſa cohors, fulgent haſtæ, congregantur carnifices, audio flagrorum ſtrepitum, verbera numero! Nempe ex tumultuantis popelli medio abrepti ad pœnam ſunt, qui præ aliis ferociebant! ſic, ô ſic demum, Pilate, ſapis, & paucorum ſuppliciô facies, ut cæteri ſapiant. At eheu! erravimus! video non ex lixis, & calonibus aliquem, ſed JEſum, innocentem JEſum ſub flagris gemere; *Emendatum illum dimittam*, Pilatus, ut compeſceret tumultuantes, declamavit. O conſilium infame, atrox, diabolicum! Nempe *cedendo* demum placabis rabiem? quouſque cedes igitur? ... en rurſum efferatior turba, nullo à te expectato imperiô, pro libidine ſæviens, *flagris* arundinem, ſpinas, ludibria addidit! ... Nunc ſatis eſt, reſpondet Præſes: *Ecce Homo!* in quo vix hominis ſpecies ſupereſt! nunc utique, quidquid peccavit, ſi quid peccavit, luit ſatis; ſic ergo *emendatum dimittam*, Fallitur! non dimittet. Audio vociferationem horrendam: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris!* quid dicit ad hoc? ... prô! fulminatus Pilatus eſt, tremit, pallet, exanimatur, ſilet! *tradidit JEſum voluntati eorum!* oppreſſa eſt conſcientia, calcata lex, damnata innocentia; occiſus DEus. Tantum ſcelus *Puſillanimitas* fecit! huc præceps

agi-

agitur, qui incidens in peccandi periculum non ſe opponit viriliter, non iraſcitur tentanti, trepidat, paciſcitur, &c., ùt ajunt, vult eſſe *neutralis.* Ah! ineptum eſt in tali caſu omne conſilium aliud: pugna, *pugna* unum remedium eſt! qui *cedere* incipit, *cadit.* Nos ſapiamus ex damnis aliorum, quando vel ex duobus exemplis abundè cognoſcimus, quanta noſtræ Emendationis proſecutioni *Impedimenta* afferant *intra nos*, hinc *Temeritas* in provocandis tentationibus, *quæ poſſent fugi*, *inde Puſillanimitas* in propulſandis, *quæ movent ſe caſu.* Verùm nec, quæ *extra nos* ſunt, mala *verba*, & *exempla* nocent minùs.

Verba intelligo *laudantium*, aut *ſuadentium* malum, vel contrà *vituperantium*, aut *deridentium* bonum. Sic Jonadab Amnonem, & Abſolonem Achitophel in exitium impulit. Amnon inceſto amore erga Thamarem ſororem ardebat, quod 2. Reg. 13. narratur, malum Jonadabo fatetur, ſcilicet ùt amico; vir ſceleſtus tetro incendio affundens oleum, ſuadet incauto juveni, ut fingeret morbum, ſic explendæ libidini occaſionem non defore. O lingua peſtilens, utinam computruiſſes in faucibus impii conſiliarii, priusquàm Regis filio tam atrox venenum afflâſſes! & hoc conſilium *amici* vocatur! quid igitur funeſtius poterat inimicus ſuadere? Amnon amici *verbis* animatus patravit facinus, cujus aliàs vel dedecus horruiſſet, vel certè neſcîſſet modum:

Digitized by Google

inde ſecuta eſt malorum ilias, infamia Thamaris, Davidis mœror, Abſolonis furor, Amnonis cædes, & quod metuendum eſt, ſempiternus interitus. In idem barathrum poſt biennium præcipitatus eſt Abſolon, cùm in procinctu eſſet, ut fratricidio parricidium jungeret. Etiam ipſum Conſiliarius perdidit, qui ſervare debuerat. Suaſit Achitophel, & perſuaſit, ut petulans puer cum uxoribus Patris ſui palàm commiſceretur, ſcilicet ut poſt tantum flagitium deſperantem de venia, in rebellionis conſilio confirmaret. Eventus ſimiles quotidie in oculos incidunt, ex quibus cæcus ſit, quis non videt, quanta ſit vis *verborum* in malum adversùm nos? . . .

At *Exemplorum* adhuc eſt major. Exemplum Evæ Adamum perdidit, exemplum Lamechi polygamiam introduxit, exemplum Sodomæ quatuor alias urbes in execrabiles libidines traxit, exemplum Core, Dathan, & Abiron tota pænè caſtra ad ſeditionem contra Moyſen commovit, exemplum Jeroboami decem omnino tribus à vera Religione ad cultum vitulorum abduxit, denique, (nam quis omnia numeret?) draco de cœlo decidens tertiam partem ſtellarum caudæ ſuæ volumine colligatum ſecum ad inferos deturbavit; & hodie nihil *audies* frequentiùs, quàm illud; *licet hoc Themiſtocli, cur non Epaminondæ?* nihil *videbis* ſæpius, quàm liberos ad parentum, uxores ad maritorum, famulos ad Dominorum,

ple-

plebem ad litteratorum, & Nobilium, ſubditos ad Magiſtratuum mores, ac exempla componi; imò propè univerſalis eſt hæc *regula* agendorum: *ſic vivunt alii! ſic eſt moris! hoc habet uſus!* adeo ſe vis exempli propagavit, confirmavitque, præcipuè, quia adjuvari *per verba* ſolet, & per noſtram jam *Temeritatem*, jam *Puſillanimitatem* perpetuò ſuſtentatur. Neutiquam igitur Emendationis incœptæ *proſecutio diuturnior* ſperari poteſt, niſi ad ſuperanda hæc *Impedimenta* totîs viribûs incumbamus. Ergo ſuperandi modum, & *adjumenta* ſtatim ſuppedito, éſtque hæc præſentis Diſſertationis

PARS II.

Emendationis adjumenta.

DIco, duo ad Emendationis conſtantiam *adjumenta* requiri, & duo ſufficere: Impedimenta enim *externa* removet *ſanum judicium*, & *interna* vincit *animus generoſus.* Notate diligenter quæ aſſero, & qua ratione hæc duo adjumenta comparari poſſint, practicè diſcite.

Audiſtis Impedimenta *externa* à verbis, & exemplis venire. Quæro: unde *verbis* aliorum, & *exemplis* tanta eſt vis, ut melioris vitæ propoſitum vel in ipſo conceptu ſuffocent, vel vix natum elidant? mihi certum eſt, aliam hujus mali cauſam non eſſe, quàm quòd pervertant *ſanum judicium.* Nam *verba* faciunt, ut, quod audimus ſuaderi, laudari, vituperari *leviter credamus*, eſſe verè laudabile,

aut vituperabile, quod falſum eſt, cùm paſſim fiat, ut malum dicatur bonum, & bonum malum; *exempla* verò perſuadent, ut ſaltem minor ſit horror mali, quando *uſus* eſſe putatur, quod eſt *abuſus.* Et nempe paſſim hæc opinio invaluit, *prudentis eſſe*, conformare judicium ſuum judicio aliorum, quòd cum non, niſi per verba, & exempla manifeſtari poſſit, concludimus, ſentiendum eſſe nobis, *quod alii docent*, & agendum, *quod agunt*, ne videamur, ſoli velle ſapere, & contra torrentem nitamur. Verùm hæc regula adhibenda eſt *ſapienter*, quia, cùm judicium aliorum quorumcunque demum aliud nihil ſit, quàm *judicium hominum*, quod facilè fallitur, neceſſe eſſe, ſæpe illum falli, qui judicio aliorum, *ſine diſcretione*, ſuum ubique conformat. Igitur, ut securè aliorum verba audiamus, & exempla ſequamur, diſcutiendum eſt planè, quales ſint *illi alii*, & *ex alia regula* concludendum, ac *ſanum* de rebus ad ſalutem ſpectantibus *judicium* habeant.

Datúrne autem ſani judicii *infallibilis regula?* Datur omnino: nam ſanum judicium eſt, quod eſt *conforme judicio DEI*, quippe, qui ſolus in judicando errare non poteſt: atque adeo ne erres in judicando, noli fatigari, ut ſcias, quid judicent alii homines, indaga, *quid judicet DEus*, &, an, quod judicant alii, etiam judicet DEus. Quid? potéſtne homini prudenti hoc diſplicere conſilium? .. bonum eſt conſilium, inquis, ſed indagare, *quid judicet DEus*, hoc opus,

hoc

hoc labor eſt ingens, longus, fallax! ... Imò labor eſt modicus, brevis, felix: eſt enim ſemper in promptu Conſiliarius, qui tibi certò dicet, quid judicet DEus. Vis, dicam, quis ſit? Mors eſt! Mors eſt! hoc jam dudum ante me Sapiens dixit cum admiratione exclamans: *ô Mors, bonum eſt judicium tuum!* Eccl. 41. Igitur quidquid tibi homines *dicant*, ſuſpende aſſenſum, donec interroges Mortem, quid dicat DEus: ita *de verbis* ſanum ſemper judicium erit, nec falléris. Deinde quidquid homines *faciant*, nec approba, donec interroges Mortem, an approbet DEus: ita ſanum erit judicium *de exemplis*, nec trahéris. Sæpe homines *multis verbis* laudant felicitatem divitum, ſuadent ſuſpectas artes lucrandi, vituperant in debitis ſolvendis ſolertem, in reſtituendis malè partis anxium, in cauſas pias liberalem: quid dicit Mors? verbum DEI opponit: *Dives, cùm dormierit, nihil ſecum auferet; aperiet oculos ſuos, & nihil inveniet.* Job. 27. Homines hortantur, ut agas in bonis dies tuos, & tempore præſenti utaris ad delicias: quid dicit Mors? ridet, & clamat: *tempus breve eſt! reliquum eſt, ut qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur; præterit enim figura hujus mundi.* 1. Cor. 7. Homines æſtimant coronas, & ſceptra, titulos, famam, laudes, magni nominis celebritatem extollunt, & *in puncto honoris* omne punctum conſtitui docent; quid dicit Mors? interrogat cum ſarcaſmo: *Homo cùm mortuus*

fuerit,

fuerit, *& nudatus*, *& conſumptus*, *ubi quæſo eſt?* Job. 14. Ita, pace mea, poſthac negligite conſilia, ſpernite monita piorum virorum, explodite minas ùt bruta fulmina, offucias, fabulas, Pfaffereyen! hoc tamen, ne nihil boni agatis, hoc ſaltem agite: conſilia noſtra *bene veſtris animabus volentium* comparate cum verbis *vobis adulantium*, & attendite, quid de utrisque judicet Mors, ſeu, quod idem eſt, quid de utrisque judicaturi vos ipſi ſitis, cùm moriemini? .. Sic, ô Viri litterati, & Nobiles, ſic *ſanô judiciô* ponderabitis *verba* hominum, & quia ſic bona conſilia ſine periculo erroris diſcernetis à malis, non erit vobis poſthac timendum malum *à verbis*. Sed neque pro diſcernendis *Exemplis* ad formandum bonum judicium aliâ opus eſt regulâ, quàm hac ipſa, quid de exemplo aliquo, quid *de more*, vel uſu ſentiat Mors. Ut quis alienum exemplum *tutò* imitetur, non ſufficit, quòd ſit exemplum viri potentis, neque quòd docti, neque quòd probi: *vir potens* ſæpe ex impunitate peccati uſurpat ſibi peccandi licentiam: *vir doctus* ſæpe per malitiam, quia probus non eſt, *vir probus* ſæpe per ignorantiam peccat, quia doctus non eſt. Quid? quòd ne Sancti quidem, etiam *qui ſimul docti ſunt*, propterea impeccabiles ſunt, præcipuè quando videmus eos *impetu alicujus paſſionis* vehementiùs abripi. Quis igitur ſecurè agat, quod agi ab alio videt, imò quod *ab aliis* etiam? nam *turba* tantùm abeſt,

ut

Digitized by Google

ut *uſum* ſua multitudine laudabilem reddat, ut plerumque, quod multi faciunt, ex hoc ipſo capite ſuſpiciónem ſapientibus moveat, ne malè fiat, cùm raró contingat, ut in bonum arduum, quale eſt exercitium virtutis, ſeriò, & diu *multi* conſpirent. Ergo quid ſupereſt, niſi, ut, quale exemplum bonum, quale malum ſit, ex ſententia Mortis determines? O Mors! ô *Mors, bonum eſt judicium tuum* de verbis, bonum de exemplis! agant, quod volunt, alii, me docet Mors: *nihil agendum eſſe, quod egiſſe me moriturus dolerem.* Infallibile eſt hoc axioma, & *ſani judicii* certa regula: ex hac vivendum eſt Sapienti, qui per aliorum *verba*, & *exempla* non vult decipi, aut à proſecutione cœptæ emendationis abduci.

Itaque contra impedimenta *externa* habetis certum remedium: *nolite judicare ſecundùm faciem, ſed juſtum judicium judicate*, Joan. 7. judicium ſanum, judicium conforme judicio DEI, quale ſuggerit *memoria Mortis.* Sed tale judicium tantùm hoc efficit, ne vos mala verba, vel exempla *decipiant*: ne *rapiant*, aliter obarmandum eſt pectus, & contra impedimenta *interna* ſollicitè muniendum. Sunt enim, qui faciunt malum, non quia decepti ſunt per ſpeciem boni, ſed quia deeſt animus ſeriò reſiſtendi tentanti ad malum; propterea ad emendationis conſtantiam, præter *ſanum judicium*, dixi, etiam *animum generoſum* requiri, à quo ſcilicet & opprimatur *Temeritas*, & erigatur *Puſillanimitas.*

Teme-

Digitized by Google

Temeritas eſt filia *cupiditatis.* Nolumus pericula fugere, quia periculorum materiam amamus, laudem, lucrum, delicias, libertatem, nugas. Huic amori ſi vellemus reſiſtere, opus eſſet vî, & nolumus nobis facere vim, *quia animus deeſt*: ſic *trahimur* in diſcrimen. *Puſillanimitas* naſcitur *ex timore.* Cùm incidimus in peccandi periculum, objiciunt ſe mala, quæ imminent, niſi peccemus, irriſio, dedecus, jactura, pauperies, perſecutio, mors. Hæ imagines ne proſternerent bonum propoſitum, opus eſſet reſolutione heroica, qualem concipere non poſſumus, *quia aaimus deeſt*: ſic in diſcrimine *vincimur.* Videtis, quàm verè ad conſtantiam, opus ſit *animo*, utique quia ſi animus deſit, neque *ad pugnam* ſufficimus, neque *ad fugam.* Igitur hoc curandum ſolertiſſimè erit, ne poſthac deſit. In hanc rem hoc eſto conſilium: *timete!* .... *timete!* .... Quid ita? ergóne *generoſum* hominem *timor* faciet? ſic ajo, & explico me.

Dixi, ſanum de bonis, & malis hujus vitæ judicium *ex memoria Mortis* formari: dico, animum generoſum, qui neceſſarius eſt tum ad fugienda peccandi pericula, tum ad reſiſtendum tentationi, quando fugi non poteſt, comparari *per metum judicii*, quod mortem ſequitur: *Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium*, Heb. 9. Nempe *timor magni mali* languorem voluntatis pellit, & excitat animum, ut fortiter ſe periculoſæ inclinationi appeti-

tûs

tus opponat: *timor mali majoris* firmat nutantem ſpiritum, ne timeat malum minus, & oppugnanti ſe mundo, aut dæmoni facilè cedat. Quòdſi hunc utrumque fructum *timor hominis* affert, poſſumúsne minus bonum à timore DEI præſumere? Quis *ita temerarius* eſt, ut ſe *in oculis Judicis*, non dico, furti crimine contaminet, ſed vel in furum ſocietatem immiſceat? quis adeò *puſillanimis*, ut contradicere non audeat invitanti ad ſcelus, quando ſtrictô imminere gladiô ſibi Judicem videt, extrema minitantem, ſi malo conſultori conſentiat? Certè *à timore* animatus Joſeph exclamavit: *Quomodò poſſum hoc malum facere*, & generoſâ fugâ ſe ex periculo abſtulit: *à timore* Suſanna fortis dixit: *Meliùs eſt, ut incidam in manus veſtras*, & in periculo invicta ſtetit: *à timore* audaces juvenes in faciem conteſtati ſunt furenti Nabuchodonoſori, Dan. 3. *DEus noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis... quòdſi noluerit, notum ſit tibi, Rex, quia Deos tuos non colimus!* ... O exemplum inſigne, quod deinde tot imitatores, quot heroës Martyres habuit! ...

Ergo, quid deeſt, quò minùs Emendationis *Reſolutionem* ſeriam *Executio* celeris, & Executionem conſtans *Proſecutio* conſequatur? Ne *verba*, vel *exempla* nos rurſum decipiant, *regulam*, ex qua, quæ ſequi liceat, quæ non liceat, certò judicare poſſumus, ſuppeditas *Mors*: ne vel *temeritas*, vel *puſillanimitas* iterum ſternat, ani-

animum facit *timor*, qui conſtitutos in oculis DEI Judicis efficaciter excitat; *ne timeamus* aut *pugnare cum hoſtibus*, ſi caſu invaſerint, aut *pugnare nobiscum*, ne provocare ultrò hoſtes quieſcentes velimus. Utrumque medium magnam virtutem habet, modò applicetur *ad uſum*. Applicetur igitur *memoria Mortis* in omni *deliberatione;* dicamus: quid *jam moriens* ſuaderem, ut decerneret alius? ita nunquam aberrabimus à ſano judicio. . . . Applicetur *timor judicii* in omni *periculo peccati;* dicamus: *Quid faciam, cùm ſurrexerit ad judicandum DEUS, & cùm quæſierit, quid reſpondebo ei?* Job. 31. Ita nunquam peccabimus in æternum, atque adeò finem accipiet peccatum! Exulta cœlum! plaude terra! rumpatur orcus! *finem accipiet peccatum!* & quis eſt noſtrûm, qui non *ad hunc finem* toto corde ſuſpiret? Ah! ne quis ſit inter hos tuos talis, *reſolutionis heroicæ* gratiam impetra omnibus, ô Inventrix gratiæ Virgo! Mater! Domina! Patrona! Advocata! . . . Surgamus! oremus, & hoc ſit pomeridianum

EXERCITIUM II.

Oratio Vocalis.

ORemus, ut impetremus *gratiam perſeverantiæ*, atque adeo *felicem Mortem*, & propitium Judicem! *Hac inventione* volunt Leges Sodalium, ut quotidie Lytanias Lauretanas recitemus. *Recitemus!* addam ego elogiis Maria-

rianis brevem Paraphraſin, ut videatis, qua praxi in quavis oratione vocali excitari *tenera devotio* poſſit. Divido Lytanias in tres partes, quarum prima eſt *Adoratio*, 2da *Invocatio*, 3tia *Obſervatio*. Singulas breviter explico priùs in *Proſa* ad uſum privatum, deinde *per Rhythmos*, ut in Conventibus publicis, cùm lubebit, cantari poſſint ad excitandos pios motus, quos ſimplices moduli multò feliciùs, quàm omnes Muſæ Italicæ pariunt. Flectamus.

PARS I.

Adoratio.

ADoramus cum profundiſſima veneratione ſummum myſterium, Deum Trinum & Unum. Dicimus:

Pater de Cœlis DEus, cujus gloriam dies diei eructat, & tot linguæ clamant, quot opera produxiſti: ecce opus manuum tuarum coràm te! *Miſerere!* ... *Fili Redemptor Mundi DEus*,, qui ſic dilexiſti me, ut te ipſum dares pro me, formam ſervi accipiens, & factus obediens uſque ad mortem: ecce pretium Sanguinis tui ad pedem Crucis tuæ! *Miſerere!* ... *Spiritus Sancte DEus*, ex cujus pretioſa gratia totum meæ ſalutis negotium pendet: ecce, qui ſine te nequidem dicere: *Chriſtus JEſus!* cum fructu poteſt, clamat ad te, *Miſerere!* ... *Sancta Trinitas unus DEus*, & ſolus DEus, ſolus Dominus, ſolus altiſſimus, cui ſedes cœlum eſt,

terra autem ſcabellum pedum: ecce incurvatum ad ſolium tuæ Majeſtatis mancipium jacet: *Miſerere!...* Idem per cantum ſic repetimus:

Pater, Rerum Opifex!... *Kyrie Eleiſon!*
Fili, Univerſi Rex!... *Kyrie Eleiſon!*
Par utrique Spiritus!... *Kyrie Eleiſon!*
Trias, unus Dominus!... *Kyrie Eleiſon!*

CHORUS.

DEus noſter, ſolus vere,
Tuæ gentis miſerere!...
Nos clementer reſpice!] *bis repetitur.*
Parce!,,,juva!...ſuſcipe!...]

PARS II.

Invocatio.

UT *Adoratio* efficacior ſit ad impetrandam bonæ mortis gratiam, addimus *Invocationem*, qua pro nobis preces B. V. imploramus. Incipimus à titulo *Sancta*,, à quo cæteri tituli omnes ſuum pretium habent; *ter* repetimus: quia *Sancta* nomine, *Sancta* officio, *Sancta* moribus fuit. Dicimus:

Sancta Maria, per nomen cœlo charum, & orco terribile obſecro: *Ora pro me!...* *Sancta DEI Genitrix!* per dignitatem, quâ cogitari major nulla poteſt, obteſtor, *ora!...* *Sancta Virgo Virginum!* per ingentia merita, quibus animas, etiam quæ maximas ſibi divitias congre-

gregaverunt, tu ſupergreſſa es univerſas, rogo te, *ora!*...

Sancta, Sancta, Sancta, pia
Juva preces, ô Maria!
Adde votis ſupplicum
Tuum Patrocinium.

CHORUS.

Ultima in Mortis hora
Filium pro nobis ora! ...
Nos ab hoſte libera } *bis repetitur.*
Virgo!.. Mater!. Domina!...

A Titulo generali *Sancta*, progredimur ad ſingulares Matris, Virginis, Patronæ, Reginæ. Tituli Matris duo prædicant, Matrem *DEI*, & Matrem *noſtram*. Dicimus:

Mater Chriſti, *Creatoris*, & *Salvatoris*, *puriſſima*, *caſtiſſima*, *inviolata*, *intemerata* per ſingulare privilegium, quo facta es Mater, quin ceſſares eſſe Virgo, oro te, *ora pro me!*...

Dicimus:

Mater noſtra, Mater verè *amabilis*, & *admirabilis*, quia *Mater divinæ gratiæ*, qua peccatores convertis, innocentes ſervas, pœnitentes urges, Sanctos promoves, eſto mihi Mater Gratiæ, & *ora pro me!*...

Mater caſta, DEO plena,
Pura gratiarum vena:...
Mater ter amabilis,
Et ter admirabilis!...

Digitized by Google

CHORUS

Ultima in mortis hora
Filium pro nobis ora!...
Nos ab hoſte libera } *bis repetitur.*
Virgo!...Mater!...Domina! }

TItuli *Virginis* rurſum duo myſteria docent, nempe qualis ſit Virgo *in ſe*, qualis erga *nos*. Dicimus:

Virgo *prudentiſſima* propter humilitatem, quæ *ex ancilla Domini* fecit Dominam Mundi: Virgo *veneranda* propter verecundiam, quæ tanta fuit, ut vel cum Angelo loqui metueres, Virgo *prædicanda* propter modeſtiam, qua ita ſenſus & corpus totum compoſuiſti, ut aſpicientibus te amorem puritatis, & vitii contrarii horrorem afflares, *ora pro me!...* Dicimus:

Virgo *potens*, & orco terribilis, Virgo *clemens*, & peccatoribus facilis, Virgo *fidelis*, & quæ neminem deſeris, niſi deſerta priùs, *ora pro me!..*

Virgo prudens, veneranda,
Nunquam ſatis prædicanda,
Virgo potentiſſima,
Clemens, fideliſſima!

CHORUS.

Ultima in mortis hora
Filium pro nobis ora!...
Nos ab hoſte libera } *bis repetitur.*
Virgo!..: Mater ..Domina!.. }

TItuli *Patronæ* partim ſunt allegorici, partim proprii. Dicimus:

Spe-

Speculum Juſtitiæ, in quo etiam Sanctiſſimi vident, quantum *ſibi* deſit ad perfectionem virtutis! ... *Sedes Sapientiæ*, quæ, quantum *mihi* deſit, neſcire non potes! ... *Cauſa noſtræ lætitiæ*, per quam, quidquid deeſt, venire mihi à Chriſto poteſt, *ora pro me!* ...

Vas ſpirituale, *Vas honorabile*, *Vas inſigne devotionis!* verè Vas electum, omni gratiâ plenum pro te, & ſuperabundans pro me! *ora pro me!* ...

Roſa myſtica, per charitatem, qua in DEum arſiſti! ... *Turris Davidica*, per fortitudinem, qua te ipſam cuſtodiſti! ... *Turris eburnea*, per exemplum, quo aliorum oculos animósque in te rapuiſti, *ora pro me!* ...

Domus aurea, digna DEO Architecto & Incolâ ... *Fœderis Arca*, Eccleſiæ Romanæ præſidium & decus! ... *Janua Cœli*, quam nobis moriens Chriſtus aperuit! ... *Stella Matutina*, cujus ortus ſerenum Solem prænuntiat, *ora pro me!*

Salus Infirmorum in doloribus! ... *Conſolatrix Afflictorum* in rebus dubiis! ... *Auxilium Chriſtianorum* in periculis, *ora pro me!* ...

Fons noſtrorum gaudiorum,
Vas inſigne, vas honorum,
Sedes Sapientiæ,
Speculum Juſtitiæ! ...

CHORUS.

Ultima in mortis hora
Filium pro nobis ora! . . .
Nos ab hoſte libera } *bis repetitur.*
Virgo! . . *Mater!* . . *Domina!* . . }
Myſticæ virtutis Roſa,
Turris David ſpecioſa,
Domus DEI aurea,
Arca plena gratiâ! . . .

CHORUS.

Ultima in mortis hora
Filium pro nobis ora! . . .
Nos ab hoſte libera } *bis repetitur.*
Virgo! . . *Mater!* . . *Domina!* . . }
Semper patens cœli porta,
Stella ante Solem orta,
Afflictorum omnium
Salus, & Solatium! . . .

CHORUS.

Ultima in mortis hora
Filium pro nobis ora! . . .
Nos ab hoſte libera } *bis repetitur.*
Virgo! . . *Mater!* . . *Domina!* . . }

DEnique Tituli *Regina* complent ſeriem elogiorum. Dicimus:

Regina *Angelorum*, nam Angeli ſervi ſunt DEI, tu Mater es . . Regina *Patriarcharum*, nam illi Patres *credentium* fuerunt, tu Parens es *prædeſtinatorum!* . . . Regina *Prophetarum*, nam

nam Prophetæ prædixerunt Chriſtum venturum: tu peperiſti! Regina *Apoſtolorum*, nam illi ſinguli ſingulas Orbis partes docuerunt Evangelium, tu potenti patrocinio cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo mundo!.. Regina *Martyrum*, nam Martyres vitam DEO per tormenta immolârunt! tu Filium, qui tibi vitâ infinities charior fuit!... Regina *Confeſſorum*, nam tu Spiritum exorâſti Patribus, lucem Doctoribus, Præconibus ſacris fervorem!... Regina *Virginum*, nam tu prima extuliſti vexillum candens, cui ſe aggregent animæ, quæ ſolæ in nuptiis Agni cantaturæ ſunt canticum novum, quale nemo dicere poterit, niſi qui cum mulieribus coinquinati non fuerunt. Apoc. 14.... Atque ita verè Regina *Sanctorum omnium*, quippe una omnium meritis dives ornata titulis, gloriâ glorioſa, *ora pro me!...*

Omnes Chori Angelorum,
Omnes Ordines Sanctorum
  Te *Reginam* nominant,
  Per te DEO ſupplicant,

CHORUS.

Ultima in mortis hora
Filium pro nobis ora!...
  Nos ab hoſte libera } *bis repetitur.*
  Virgo!.. Mater!.. Domina!.. }

Digitized by Google

DIES III.

Obſecratio.

POſtquam *Invocatio* Deiparæ auxit fiduciam, revertimur ad DEum, & preces per *Obſecrationem* finimus. Dicimus:

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, ne quisquam pereat, niſi volens, *parce* dolenti de peccatis præteritis!.. *Exaudi* orantem per tuæ Matris merita, ac prærogativas, clamantémque: *Miſerere* morituri!... & cùm ex Agno mutatus in leonem veneris judicare, noli me condemnare!...

Agnus DEI proba vota,
Quæ concepit mens devota:
Efficax Virgineum
Nobis ſit præſidium.

CHORUS.

Parce! audi! miſerere!
Lætos fac nos te videre,
Cùm in nube Judicis
Factus Leo, fulſeris.

ORavimus voce, iterum oremus jam mente!, Surgamus! ſedeamus... Oravimus voce, ſed non ſine mente, non ùt pſittaci; expendimus, quid ſingulæ voces ſignificent, & aptum ſignificationi affectum addimus. O bona oratio; dico vobis, una Salutatio Angelica ex hac methodo recitata plus valet, quàm centum Roſaria, quæ ex frigido ore, ſine atten:

tentione, ſine reverentia per globulos præcipitatis. Numerus precum (nolite decipi) *ſolus numerus*, niſi multiplicet devotionem, non multiplicat meritum ... Oremus jam mente iterum, & quem manè *ex Meditatione Mortis* concepimus timorem ſalubrem, nunc per Meditationem *de Judicio* firmemus. Graviſſima *Materia* eſt, fructuum motuumque magnorum ferax; propterea, ne quid negligamus, commiſceo ſermoni conſiderationem de utroque judicio, & prout res dabit, jam de Judicio *particulari*, quod ſtatim ſequitur Mortem, jam *de extremo*, quod in fine mundi futurum eſt, agam. *Puncta duo* comprehendent, quidquid in utroque terrere nos poteſt! nimirum: *Nihil eſt certius proceſſu*, hoc eſt punctum & fulmen primum: *Nihil incertius ſententiâ*, hoc eſt punctum, & fulmen ſecundum. Quem neutrum attonat, aut valde ſanctus eſt, aut valde ſtupidus ... Ego Viris ſapientibus loquor, ideo ſpero fructum. Spes ne me fallat, ſurgamus, & Spiritum timoris Domini à cœlo petamus. Domini, *DEUS nos videt*, DEus qui judicabit! judicate, quanta cum reverentia & attentione meditari nos doceat de Judicio, *coram Judice*.. Ut faciamus, quod judicamus debere fieri, tu juva nos! & *Veni Creator Spiritus!* ...

EXERCITIUM III.
MEDITATIO
De Judicio poſt Mortem.

P*Rædium I.* Ignoſcite mihi, DD. Sodales, ſi in hujus Meditationis initio facio: quod hoc tempore facit Eccleſia. Illa Crucifixi Imagines velo obtegit, ego hanc Crucem ex oculis aufero. *JEſus in Cruce* ſignum eſt infinitæ miſericordiæ, Miſericordiæ in judicio nullus locus erit: ergo neque locus ſit ſigno in Meditatione de judicio, in qua proſtaret *ſine ſignificato*, imò in qua mentem fortè diſtraheret per intuitum Clementiæ, à contemplatione Juſtitiæ. Ergo fuge, *fuge Dilecte mi*, Cant. 8. abſcondere paululum, ne oculi auribus noceant! Sic bene! . . .

Præludium II. Nunc irrue ſuper nos, *timor ſancte!* occupa memoriam, intellectum, & voluntatem, poſſide cor! oſſa concute! medullas penetra! . . . dicamus cum Davide Pſ. 118. Domine, *confige timore tuo carnes meas!* ne per temerariam confidentiam revertar ad priorem audaciam, quæ te provocet, ut *in furore tuo arguas me*, *& in ira tua corripias me* . . . . Sedeamus.

PUNCTUM I.
Nihil certius Proceſſu.

E*Xercitium memoriæ.* Pro rudium capacitate ſolent Pictores *Judicium particulare* ſic exhibe-

hibere. Sedet in nube Chriſtus, ponè hinc palma micat, inde fulgurat gladius, infrà ſtat tremens anima, inter dæmonem, & bonum Angelum media, ad latus Michael viſitur, bene ac malè facta ex bilance ſuſpendens. Sic plebi *ad ſenſum* explicatur Proceſſus Judicii. Viris literatis Theologi ſub imagine nobiliori conſiderandum proponunt. In ipſo animæ exitu de corpore *Radium* cogitate, qui inſtar fulguris coruſcans, ictu oculi, acta vitæ univerſæ, merita hominis, & ſententiam Judicis momento manifeſtam reddet. Atque ita hunc *Proceſſum*, qui in ipſa morte inſtituitur, uti breviſſimus erit, ſic rectè *Summarium* appellabis. *Solemnis* in fine mundi ſequetur, cujus initium, medium, & finem recitare omitto, quia ſingulis annis in ultima Dominica poſt Pentecoſten, & iterum in prima Dominica Adventûs totius Tragœdiæ ſeries ex Evangelio legitur. *In re* uterque unus eſt, quia ultimus primum non mutat, ſed confirmat, & publicat.

Exercitium intellectûs. Anima mea, quid tibi de hac narratione videtur? an fabulam, aut ſomnium audis? ... imò quàm certum eſt, dari DEum, tam certum eſt, inſtitutum iri proceſſum: *Nihil certius proceſſu!* unde probo? *ab impoſſibili* probo, quia fieri non poteſt, ut proceſſum vel *DEus* omittat, vel *homo* effugiat. *Utrumque* omni certitudine certum eſt, ab auctoritate, à ratione, à fide, ab experientia.

Au-

Auctoritas Judicem metuentium tanta eſt, ut ex gentilibus etiam Philoſophis ne unus quidem repertus ſit, qui non dubitaverit ſaltem, an non Mortem ſequatur Judicium aliquod, & Peripati Princeps Ariſtoteles legitur apertè, cùm moreretur, ſic ſuam de judicio ſententiam profeſſus fuiſſe: *Dubius vixi, anxius morior: quò vadam, neſcio: Ens entium miſerere mei!* Poëtæ adeo vel inter fabulas, quid de judicio poſt mortem ſenſerint, narrare non omiſerunt; nec eſt, opinor, quisquam præſentium, qui non de Minoë, Æaco, & Rhadamanto multa audierit. Sic ſcilicet, *quòd* ſeſſurus ſit Judex, illi crediderunt, *quis*, hoc neſciverunt. Neque mirum eſt, tot hominum ſenſum in aſſerendo Judice tam concorditer conſpirâſſe, quando vel obiter conſiderationi huic ſe applicantem *Ratio* de veritate convincit. Repetite breviter, quæ manè de Animæ *Immortalitate* audiſtis, idem argumentum hic valet: Datur Creator mundi, ergo & *Gubernator*, ergo & *Legislator*,, ergo & *Judex*,, ergo & *Judicium*, Subſumo: atqui judicium aut nunquam, aut raró inſtituitur *in hac vita;* videmus enim bona & mala hujus vitæ eſſe bonis & malis planè *communia*, & in ipſo vitæ fine ſæpe improbos placidè & honorificè, probos miſere & cum infamia mori. Ergo inſtituetur Proceſſus *poſt hanc vitam*, neque poteſt DEus proceſſum omittere, quia quàm *liberè* fuit Creator Mundi, tam *neceſſariò* eſt Gubernator, Legislator,

&

& Judex. Age, quæ ſana ratio poteſt huic ratiocinationi reſiſtere?... Igitur probè ſuperfluum erit teſtimonium *ex fide* adjungere. Audiatur tamen Paulus, quo nemo clariùs rem aſſeruit: *Statutum eſt hominibus*, inquit Heb. 9. *ſemel mori, poſt hoc autem judicium!* Quid vultis ampliùs? Paulus à Chriſto, quod docuit, dicit: Chriſtum autem docuiſſe verum, jam experientia demonſtravit. Eja! eamus ad Palæſtinam. Ubi eſt Hieroſolyma? novam urbem reperietis, de antiqua ne quidem lapidem ſuper lapidem. Nempe ex eodem Evangelio Matth. 24. in quo prædixerat Chriſtus, ſe venturum in nube *poteſtate & majeſtate magna*, vaticinatus etiam interitum Hieroſolymæ fuit. Impleta eſt iſta pars Prophetiæ: *Stetit abominatio in loco ſancto*, circumdata eſt vallo miſera civitas, *coanguſtata*, capta, everſa, & debuit everti, ne *Veritas* mendax eſſet. Hoc ſcimus, & dubitare ſit integrum, an implenda ſit altera pars? ex eventu primi mali palpamus, quòd *in Chriſto* locutus ſit DEus, cui nimirum *ſoli* nota eſſe potuit res ab eventibus merè contingentibus pendens, & tam procul ab eventu remota; igitur ambigi prudenter non poteſt, quin pars altera ejusdem ſermonis ſit DEI. Nec jam integrum DEO eſt mutare ſententiam: ſi non cogeretur eſſe Judex ex officio *Gubernatoris*, cogeretur ex vaticinio: certum eſt, non poteſt omitti Judicium, &

prius

prius cœlum & terra tranſibunt, quàm verba DEI *ſine effectu* prætereant.

Exercitium voluntatis. Tu hoc age, anima mea, ne prætereant *ſine fructu:* aut provide tibi in tempore, ut, quod DEus non poteſt *omittere* Judicium, tu ſaltem poſſis *effugere.* Eja! circumſpice omnes vias, aſcende in cœlum, & inter Angelos te reconde!... deſcende in infernum, ut inter diabolos lateas!... ſume pennas, & mare transvola, ne apprehendat te manus Judicis!... Inclama montes & colles, ut cadant ſuper te, & operiant te!.. ô conatus inutiles! Angeli non admittent te, diaboli protrahent, montes non audient, & tota latitudo maris nil proderit, niſi forſan neſcis, longas nimiùm Judicis eſſe manus!... At nimirum *ante tempus* tam anxias cogitationes urgeo! adhuc longè abeſt deſtinata Judicio dies... Equidem hoc ego neſcio: attamen ſi vides octoginta annorum ſilicernium incurvato capite tumulum ſemper reſpectans, etſi dicere non poſſis diem, quo ſit moriturus ille ſenex, ſine ulla tamen hæſitatione pronuntias: *Non diu ampliùs ſupervivet!* eccur non idem de Mundo judiças? ſenuit certè, ſenuit Mundus, & jam *ſextam ætatem* agit, poſt perditam in incunabulis innocentiam uſque ad tempus diluvii, malitia ſuperante ætatem, *protervus infans*, inde uſque ad Moyſen *petulantiſſimus Puer*, poſtea uſque ad tempora Davidis ſubſtantiæ ſuæ inter meretrices improvidè

pro-

prodigus Adoleſcens, deinde, donec Chriſtus venit, urgente fame, inter porcos *damnatus ad ſiliquas Juvenis.* Et tunc quidem, excitante gratia in ſe reverſus ad Patrem rediit, & in heroico virtutum Chriſtianarum exercitio *ætatem virilem egit.* Verùm poſt Conſtantini Magni mortem ſenſim ſine ſenſu ſeneſcens, cœpit variis morbis miſerè affligi, neque fomenta, quibus ei per ſingula Sæcula Viri ſancti ſuccurrerunt, ad ſuſtinendam vitam diu ſufficient, cùm fatale frigus de die in diem incrementa capiens, certus prodromus vicinæ mortis notetur, ipſo Divino Medico, qui non fallitur, teſte Matth. 24. ubi interrogatus à Diſcipulis: *Quod ſignum adventûs tui, & conſummationis Sæculi?* præter prædicationem Evangelii in toto orbe, & alia ſigna, hoc recenſuit: *Quoniam abundavit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum*, & mox: *tunc*, ait, *veniet conſummatio.* Conclude jam, quàm procul à fine ſimus... Sed quid prodeſt mihi, ô DEus, ſi per conjecturas contrarias conſolari me poſſem, quòd ita procul ſit *Mundi finis*, ut eò ſe porrigere *vita mea* non poſſit: quando ex hoc ipſo argumento convincor, quòd non procul ſit *finis vitæ?*... O vanum, ô inanè ſolatium... *fortaſſe* non ita citò deficiet ſol, non obſcurabitur luna, non commovebuntur virtutes cœlorum, non videbo deſcendentem in nube Judicem: at certum eſt, *brevi fore*, ut deſtituant me oculi, labent dentes, concidant pedes,

des, avolet mens: & tunc videbo pro nube *Radium*, qui me arguet, & ſtatuet contra faciem meam!... propè eſt in januis! ſua cuique *extrema dies*, & tunc veniet *conſummatio*, & poſt conſummationem *proceſſus*, & poſt proceſſum *ſententia* immutabilis! & ego non tremo?... cùm tonat cœlum, expalleo: cùm terra quatitur, trepido, inſipiens ſum! cœlum enim, & terra tranſibunt, ſed verba tua, ô Veritas Divina, *Verba tua non præteribunt!* ergo concidat tellus! ruat cœlum! quid refert? tranſiens caſus erit. Verba, *verba tua* timeamus, quæ habebunt *effectum* æternum! verba illa horrida: *Diſcedite maledicti! diſcedite!*... ô pondus immane verbi! væ illi, in quem incumbet! tota miſer æternitate opprimetur!...

Sic eſt, muſſitabit hìc aliquis: homini malè ſibi conſcio timendum judicium eſt: *Nihil enim eſt certius Proceſſu*, qui utique tali non erit optabilis. Sed ego ſententiam ſpero faventem mihi, cur igitur Judicem timeam?... Gratulor tibi, ô bone, conſcientiæ teſtimonium bonum; nec ſpem reprehendo, quod ſuadeo, eſt, ut ſpei *timorem* adjungas. Ratio conſilii eſt, quia, ſicut *nihil eſt certius proceſſu*, uti vidimus, ita *nihil incertius eſt ſententiâ*, quod modò intelligemus, & eſt

PUN-

PUNCTUM II.

Nihil eſt incertius ſententiâ.

E*Xercitium Memoriæ.* Aut age, ſi quis habet patentes litteras, quibûs ipſi promiſſa ſecuritas eſt, prodeat huc, oſtendat palàm, ut gratulemur, lætíſque acclamationibûs gratiam tam ſingularem laudemus. Erit, qui interrogabit: cur, quam tribuerem litteris, fidem non adhibeam teſtimonio conſcientiæ ſuæ? Reſpondeo, quia conſcientia quidem innocentiæ *teſtis probabilis* eſt, ſed nequaquam *omni exceptione major:* tantum enim ne Paulus quidem ſuæ conſcientiæ tribuit: *Nihil*, inquit, *mihi conſcius ſum; ſed non in hoc juſtificatus ſum.* 1. Cor. 4. Et cur *non in hoc?* quia, *qui judicabit*, eſt DEus, *qui judicabuntur*, ſunt homines, *de quibus judicabimur*, ſunt actus occulti. Singula faciunt, ut certi eſſe de ſententia, citra revelationem, non poſſumus; ſingula ſufficiunt, ut ſemper *in medio*, hoc eſt, inter ſpem & metum conſiſtendum eſſe nobis, intelligamus.

Exercitium Intellectûs. Igitur, *qui judicat*, DEus eſt. Si nos ipſi eſſemus noſtri Judices, quis non abſolveret ſe? Adam & Eva digni veniâ fuerunt *judiciô ſuô*, adeo obvia quævis excuſatio homini *pro ſe* ſatisfacit. Sed aliter fiet: *Qui me judicat, Dominus eſt!* 1. Cor. 2. non eſt *inimicus*, qui malum affingat: non *amicus*, qui culpam diſſimulet, non Angelus *delegatus*, à quo appellationi locus ſit, non *homo*, qui

facilè aut decipiatur, aut mutetur, aut moveatur ad miſerendum. *Dominus* eſt, qui citat *ſervum* ad reddendam rationem de villicatione commiſſa, *Dominus*, cujus judicia *Abyſſus* ſunt, in quam Sancti alii *intuentes* præ horrore ingemuerunt: *Quaſi tumentes ſuper me fluctus timui DEum!* Job. 31. alii *deſcendentes* attoniti exclamaverunt *de profundis: Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine, quis ſuſtinebit?* ... Qui me judicat, *Dominus* eſt, qui ſcrutatur corda, & renes! .. *Dominus*, qui viſitat Jeruſalem in lucernis, divinóque oculô intimas mentium latebras penetrat! ... *Dominus*, qui etiam *in Angelis reperit pravitatem*, Job. 4. Ergo, quando, *qui judicat*, DEus eſt, habet etiam *Angelus*, cur metuat ſibi? conclude, quid ſentiendum ſit, quando, *qui judicat*, DEus eſt, & *qui judicatur*, eſt homo, *homo* tot ignoxius ignorantiis, tot expoſitus periculis, tot curis diſtractus, tot violentis affectionibûs irretitus! ...

Phariſæum vobis ante oculos ponite. Prô! ùt optimè ſibi conſcius, & plenus ſolátiô templum ingreditur: gratias agit DEO, quòd non eſſet, *ſicut cæteri hominum:* Luc. 18. tanta fiducia eſt! recenſet bona, quæ agit: tanta ſecuritas! exardet zelô adversùm injuſtos, adulteros, publicanos: quis non crederet, ſanctum eſſe? At ecce! *Divinô judiciô* infra Publicanum damnatur. I nunc, homo vane, & conſcientiæ innocentiam jacta! in vitia detona! orbis reformationi operam tuam dedica!

Digitized by Google

dedica! tabeſce præ nauſea ſcelerum, & ô *tempora! ô mores!* cum faſtidio vitæ, ad ravim ingemina! *non in hoc* juſtificatus es! neque propterea *bonus es*, quia alii ſunt *peiores*, quàm tu; imò nec, ſi aliis prædicaveris, ſecurus es, an non ipſe ſis reprobus. Quare? quia *homo* es, & *neſcit homo, utrum amore, an odio dignus ſit?* Eccl. 9. neſcit, quia, *de quibus judicabimur*, actus plerique ferè occulti ſunt.

Judicabimur *de cogitationibus*: quantum eſt chaos!.. judicabimur *de verbis*: quanta eſt moles! judicabimur *de operibus omnibus*: quanta eſt rerum, & actionum congeries erga DEum, nos ipſos, & proximum.... Nolo hæc pluribûs exaggerare: ut videamus juſtas eſſe nobis timendi cauſas, unus obtutus ſufficit. *De omiſſionibus* ne dicam exactiùs, non poſſum omittere. Audite igitur veritatem plenam horroris: *de omiſſionibus judicabimur!*... Hic mihi ex Evangelio villicus iniquitatis in memoriam venit, Luc. 16. Diu vixerat homo hilaris, & ſine cura, nempe quia librum rationum ſuarum inſpicere diu neglexerat. Poſteà, cùm citatus ad judicium, oculos in officii ſui curam conjecit, cœpit caput ſcabere: & deliberare, *quid faciam?*... ita plerique angentur olim, cùm poſt vitæ incuriæ bonos dies ſucceſſerit triſtis nox, in qua ad candelæ mortualis malignum lumen *accepti*, & *expenſi* computum inire cogentur. Superi! quàm multa tunc effodientur talenta à ſervis pigris

 malè

malè defoſſa? quàm multa numerabimus mala, quæ impedire, quàm multa, & grandia bona, quæ præſtare ſicut potuimus, ſic debebamus!... & quam ſententiam tanta negligentia promerebitur! tantum tempus ſubtractum officio, & perditum ſomnô, conviviis, luſu, venationibûs, nugis! tot bona naturæ, fortunæ, gratiæ in ſolo ſterili contumulata! tot bonæ occaſiones ſine uſu omiſſæ!.. ah! damnabitur, teſte Judice ipſo, Matth. 25. non ſolùm, qui fratrem ſuum venenô necaverit; ſed etiam, qui non paverit eſurientem, aut ſitienti negaverit potum!.. damnabitur non ſolùm, qui veſtitum nudaverit, ſed etiam, qui nudum non veſtierit!.. damnabitur non ſolùm, qui inquilinum domô expulerit, ſed etiam qui non receperit peregrinum!.. damnabitur uno verbô, non modò, qui malum fecit, ſed etiam qui bonum omiſit, ad quod ex præcepto, vel ex officio tenebatur, ídque tunc maximè verum eſt, quando ejusmodi omiſſiones, ùt plerumque ſunt, *peccata caudata* ſunt, ſive talia, ut multorum poſt ſe peccatorum ſeriem, & conſequentias trahant, ſicut ſanè trahunt *in parentibus* neglecta educatio liberorum, *in patribus familias* neglecta cura domeſticorum, *in juvenibus* neglectus labor ſtudiorum, & vocationis incuria, *in Sacerdotibus* neglecta, aut obiter ſuſcepta inſtructio rudium, *in Magiſtratibus* neglecta inquiſitio, & abolitio publicorum abuſuum, *in quovis ſtatu* neglecta

appli-

applicatio ad obligationes ſciendas, *in quovis officio* neglecta cura ad exequendas!... Heu! quot ex uno peccato tali peccata naſcuntur, peccata ſcandali, peccata non ſoli peccanti noxia, ſed toti communitati pernicioſa, peccata *in cœlum clamantia* ex ore oppreſſorum pauperum, flentium ſubditorum, pereuntium animarum!... ô quisquis es, ſcito, quòd pro his omnibus *adducet te DEus in judicium!* Eccl. 11. & tu non metuis Judicem? non es anxius *de ſententia?* vide, ne mutato nomine de te dici poſſit, quod Apoc. 3. ſcriptum eſt de alio: *dicis, quia dives ſum, & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper* à meritis, ſicut Phariſæus, & *cæcus* per incuriam, ſicut villicus, & *nudus* ab omni bona excuſatione, ſicut Adam....

Exercitium voluntatis. Ergo, viri fratres *quid faciemus?* nihil certius eſt proceſſu: vidimus! nihil incertius ſententiâ: intelleximus! *quid faciemus?* Auguſtino hoc ipſum volventi animô, & de heroica reſolutione ſecum luctanti allapſa eſt vox ad aures: *tolle! lege! tolle! lege!* ſuſtulit Epiſtolas S. Pauli, incidit in illam ad Romanos, legit ex c. 13. quod ſequitur: *ſicut in die honeſtè ambulemus, non in commeſſationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione, ſed induimini Dominum JEſum Chriſtum!* Hoc legit Auguſtinus, & converſus eſt; nobis idem ſæpè legitur, ſæpiùs dicitur, & quando demum ſe-

quetur converſio? Eja! nunc fiat initium! *ſicut in die boneſtè ambulemus!* ſicut in qua die? ſicut *in die judicii*, ita, ſic, ſic ambulemus, quaſi jam dies hodierna dies judicii foret. Et quomodò tunc viveremus? utique *non in commeſſationibus* &c. hæc enim ſunt opera tenebrarum: ſed nimirum *indueremus Dominum JEſum Chriſtum*, attenderemus, quid docuerit, faceremus, quod fecit. Et ecce! ſic denique, ſic poſſemus expectare faventem ſententiam, ſi ſiſteremus *nos Judici*, induti *veſtibûs valde bonis*, quibûs ipſe veſtitus inceſſit, cùm ambulavit inter nos *judicandus;* nam, Paulo teſte Rom. 8. quos DEus prædeſtinavit, illos voluit *conformes fieri imaginis Filii ſui*, cui proinde qui conformes non erunt, prædeſtinati non ſunt... Hìc jam novus me terror obruit! DD. Sodales, erravi, cùm ad hujus Meditationis initium Crucifixi Imaginem ex oculis veſtris removi, quaſi ſigno Miſericordiæ in loco Juſtitiæ locus non foret! falſum eſt: Signum Crucis enim apparebit in cœlo, cùm Dominus ad judicandum venerit, ita Catholica credit, & teſtatur Eccleſia. Cur apparebit autem? nempe ut ex Crucifixo, tanquam ex protocollo, inſtituatur Proceſſus. Ergo reſtituo oculis, quem pauliſper ſubtraxi: applicate huc animum, ut novi horroris argumentum percipiatis!... Ecce *Liber ſcriptus proferetur, in quo totum continetur, unde mundus judicetur!* liber ſcriptus *foris* per præcepta, & *intus* per exempla: *Tolle, lege:* anima peccatrix, *tolle,*

Digitized by Google

tolle, lege! totum hìc legis, quod damnare, totum, quod ſalvare te poteſt. Quid autem lego?.. ô verba plena myſterii amabilis, & terribilis! *JEſus Nazarenus Rex Judæorum!* Superi! in tam brevi ſcripturà totum continetur, unde mundus judicetur!.. *JEſus Nazarenus!* legite fideles Servi! nomen floridum, & amabile legitis, in quo vos ſalvari oportet, quia ſedulò cooperati eſtis Salvatori!... *Rex Judæorum!* legite rebelles! vos quidem noluiſtis *hunc regnare ſuper vos!* voluiſtis dudum, ut corrigetur hæc ſcriptura! ſed fruſtra eſtis: DEus, *quod ſcripſit, ſcripſit*: Rex eſt Chriſtus, *non de hoc mundo quidem*, ſed contra hunc mundum tamen, quocum diſperdet omnes, qui de hoc mundo ſunt, nec parcet *filiis Abrahæ, qui opera Abrahæ non fecerunt.* Enimverò *nunc* quidem JEſus Nazarenus adhuc omnibus *Salvator*, & *amabilis* eſt: *verba vitæ* moriens loquitur. Supplicat pro nobis Patri: *Pater, ignoſce illis! non enim ſciunt, quid faciunt!*.. Animat quemvis noſtrûm per os Jerem. c. 3. *Revertere averſatrix Iſraël! fornicata es cum amatoribus multis*, anima impudens! tamen revertere! & ecce *hodie mecum eris in paradyſo*, in deliciis gratiæ, cum jure ad gloriam!... Offert argumentum fiduciæ, & oculis in Mariam conjectis monet: *Ecce Mater tua!* ad ipſius preces placabor tibi!.. Imò ultro *ſitio* ſalutem tuam, ardentiſſimóque te deſideriô ſalvum volo!.. ô verba dulcia! ô JEſu Nazarene! amabilis JEſu!...

 At-

Atque *nunc* quidem ita ſe JEſus habet: ſed veniet dies, cùm ex agno in leonem verſus rugitu horribili concutiet totum orbem terrarum; & tunc *hic JEſus* non erit hic, erit totus ab hoc diverſus, quem hìc videtis. Non erit *tunc* caput inclinatum ad pacis oſculum, ſed erectum ad terrorem, & majeſtatem: non erunt expanſa brachia in amplexum, ſed armata fulminibûs ad ſupplicium: non erunt oculi in mortem clauſi, ſed mille mortes in improbos fulgurabunt: non erit facies pallida, non coronata ſpinis frons, non corpus nudum, ac lividum, ſed vultum accendet zelus, caput ornabunt radii, corpus ſplendor gloriæ veſtiet... *Tunc* quid tu facies anima pertinax in peccato?... & quando interrogabit te Judex: *Quare me dereliquiſti? quare?*... quid reſpondebis ei? nempe tunc *confiteberis* ſincerè demum, tunc *dolebis* amarè, tunc ad plenam *ſatisfactionem* te offeres, ſed ſerò nimis! ſerò nimis! nam *conſummatum eſt!* dicet Judex, conſummatum eſt! & continuò ſol gratiæ obſcurabitur, luna Mariani patrocinii non dabit lumen, ſtellæ de cœlo cadent, & Sancti erunt tibi, quaſi non ſint, imò virtutes cœlorum commovebuntur in ultionem contempti Domini, qui tandem *clamans voce magna* tradet animam tuam in manus inimicorum!... Heu! heu! quàm horrendum eſt incidere *in manus DEI viventis!* Ergo feſtinemus, & conjiciamus nos *in manus DEI morientis!* feſtinemus! oremus!

COL-

COLLOQUIUM.

JEſu! eſto mihi JEſus! & *cùm veneris judicare, noli me condemnare!* ... Ecce *delicta mea paveſco!* heu! quanta, & qualia ſunt! .. tandem *ante te erubeſco*, poſtquàm toties oculos hominum præ tuis horrui! ubi me abſcondam, ne videas me, & in me tam multa, quæ diſpliceant tibi? .. imò ſtatue me contra te! confunde me! exprobra! increpa! pudor eſt ad ſalutem, modò non in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me! ... ut modò parcas, non poſtulo: *Pater es!* corripe filium immorigerum! ecce in flagella paratus ſum! .. ſed *cùm veneris judicare*, tunc parce, ignem æternum timeo, ah! ignem æternum timeo, non tam quia ignis eſt, quàm quia igni amoris tui contrarius eſt! noli, obſecro, *noli me condemnare* ad odium tui! me, quem tuo ſanguine redemiſti, ut poſſem amare! quem tantâ patientiâ expectâſti, ut ad amorem redirem! quem hac ipſa horâ reducem vides ad amoris exercitium, recuperandæ gratiæ avidum, vitæ malè actæ pertæſum, & poſthac meliùs agendæ ſeriô deſideriô ardentem! ... Sic comparatus in tempore, quô adhuc *in cruce* pendes, & nondum ſplendes *ex nube*, quidnî fidenter ſperem, quam Publicanus obtinuit, miſericordiam! miſericordiam! .... rogo! ... ſpero! .. *Pater noſter.*

REFLEXIO.

SEdeamus! ... quod fecit Job, faciamus & nos deinceps, ſitque hic fructus hujus

Meditationis. Job. quod c. 31. ipſe teſtatur, *verebatur omnia opera ſua*, ſciens, quòd DEus non parceret delinquenti: propterea ſolebat ſæpè inſpicere ſe, ac interrogare: *quid faciam, cùm ſurrexerit ad judicandum DEus, & cùm interrogaverit, quid reſpondebo ei?* ... Nos ſaltem ante ſomnum quotidie *per breve examen* inquiramus, an ſimus in eo ſtatu, in quo eſſe vellemus, ſi ea nocte citaremur ad Divinum Tribunal. Nihil eſt in hac praxi difficile: una cogitatio ſeria aliquot temporis minuta complectens, totum laborem conficit, laborem, cujus *ſuſceptio* ingens animæ ſolatium fert, *frequentatio* autem ſtabilit, & ſervat tremendi Judicis *memoriam perpetuam*, cuius hi ſunt ſaluberrimi effectus, ut nunquam *ſuperbus* ſis, nunquam *piger*, nunquam *audax*... Igitur, ſicut heſternam diem *dolori* dedimus, ita utiliter hodiernam impendimus excitando *timori*, qui, ſi radicem fixerit, liberabit nos *ab omni timendo*. O dulcis cogitatio! ... Ite, & niſi, quod non puto, jam biduanæ patientiæ pœniteat vos, cras ad Exercitium *Amoris* venite. *Dolor* emendat vitam præteritam, *Timor* præſentem ordinat, *Amor* diſponit futuram. *Dolor* moleſtiam habet, *Timor* parit angorem, *Amor* delicias affert: itaque ad delicias in craſtinum vos invito, ad delicias, quæ exſuperant omnem ſenſum, nec intelligi poſſunt, niſi ab experto. Ad hanc *experientiam* præparate animos ſæpè repetendo, totu impetu cordis,

Xa-

Xaverianum ſuſpirium: *ô DEus, ego amo te, ſolùm, quia Rex meus es, & ſolùm, quia DEUS es!*... Hic, hic eſt ignis, quem Filius DEI venit mittere in terram, & quid vult, niſi ut accendatur: Eja accendatur! accendatur, ut L. J. C. in æternum!

SACRI TRIDUI EXERCITIA DIEI TERTIÆ.

PRÆPARATIO.

LAUDETUR JESUS CHRISTUS!
℟. IN ÆTERNUM.

QUibus verbîs herì finivimus Sacri Tridui diem 2dam, iis incipio 3am, & dico: *Dolor* incipit vitam novam, *Timor* urget, *Amor* coronat, nec facilè diu perſeverat in bono, niſi qui amat. Propterea *amori*, ſancto Amori hæc devota ſit dies! repetamus centies, ac millies cum magno Xaverio: *O DEus, ego amo te! ſolùm, quia Rex meus es, & ſolùm, quia DEus es!*... Hæc hodie noſtra occu-

occupatio eſt, occupatio maximi fructûs, & plena deliciis, plena deliciis... Sedeamus.

EXERCITIA
ANTE MERIDIEM.

NEmpe, quod contigit Auguſtino, contingit pleriſque omnibus vitæ melioris inſtitutioni ſe accingentibus: *Nugæ nugarum* fugientibus ſuccutiunt veſtem carneam, & poſt tergum clamant: *Dimittisne nos? & à momento iſto non erimus tecum ultra in æternum!* & fieri poſſit, ut ab hac die, à qua pœnitentiam incipis, usque ad mortem, nunquam reverraris ad vetita gaudia! .. Hìc, niſi amor juvet, plurimos *tædium luctæ* ſæpè diuturnæ, & gravis retrahit in Ægyptum, deſperatione ſuſcepti laboris ad felicem exitum perducendi animum ſubigente. Nimirum *dolor* de peccatis conceptus paulatim ceſſat affligere; & *timor*, ſicut ex opinione *mali futuri* naſcitur, ita, quando malum exiſtimatur non eſſe *propinquum*, ceſſat urgere: amor ſolus, *amor* tandem in omni occaſione, pro omni tempore invincibiles facit, & rectè Auguſtinus dixit: *Ama, & fac, quod vis!* nempe, quia, *quamdiu amas DEum*, nunquam voles, quod nolit DEus. Ergo ſi quæ hactenus pia ſenſa de cœlo vobis immiſſa ſunt, ſi quos motus advertiſtis ad morum correctionem ſtimulantes, ſi quæ lumina intellectûs, ſi quæ propoſita bona voluntas

con-

concepit: earum rerum omnium vim, & efficaciam hodie *ad animandum amorem* animate!.. *Amoris* incitamenta *Fides*, & *Spes* ſuppeditant; Fides enim docet, qualis ſit DEus *in ſe*, Spes admonet, qualis ſit *erga nos*... O Fides, Spes, Charitas *tria hæc*, quàm neceſſariæ nobis virtutes ſunt, quippe *ſine quibus* aliæ omnes virtutes merè politicæ ſunt, & humanæ, etiam Ethnicis communes, neque adeo præmio cœleſti dignæ!.. *Major tamen horum eſt Charitas*: pro hac laboramus, ad hanc *Fidem*, & *Spem* ordinamus. Objectum hujus ordinationis *præcipuum* (nam in eodem DEus unus, & trinus continetur) habetis ante oculos *in hac cruce*. Ah! Crucem quoties *ſine motu* aſpicimus! non ita, ſic me juvet Amor crucifixus! non ita fiet hodie: hodie *oculis Fidei*, & *Spei* aſpiciemus in Auctorem Fidei, & Conſummatorem JEſum, & certus ſum, niſi obſtinatis, & deſperatis hominibus loquor, certus ſum, *ex hoc aſpectu* movebit ſe *amor* aliquis, & deguſtandas cordibus ſuas delicias dabit... Igitur accingimur: Meditationis *materia* Chriſtus in cruce eſt. *Puncta tria*: 1mum, DEUS crucifixus. 2dum, DEUS crucifixus propter hominem. 3tium, DEUS crucifixus ab homine... Surgamus! *DEUS nos videt*, DD. Sodales, DEUS, qui amat nos! decet, ut *in conſpectu amantis* attentè figamus oculos *in aſpectu amoris*... Hoc, ô Magiſter amoris, hoc doce nos, & *veni Creator Spiritus*!....

EXER-

EXERCITIUM I.

MEDITATIO

De Chriſto Crucifixo.

PRæludium I. Figamus aſpectum devotum in Cruce hac, & pendentem ex illa interrogemus: *Quare ſic extenuaris macie Fili Regis?* 2. Reg. 13. Audiemus reſponſum, quod vel ſaxa emolliat: *Amo!... amo!...*

Prælúdium II. Audiamus viciſſim interrogantem: homo, *diligis me!* utinam reſpondere quiſque *ex vero* poſſit: *Domine, tu ſcis, quia amo te!...* Sedeamus...

PUNCTUM I.

DEUS Crucifixus.

E*Xercitium Memoriæ.* DEus Crucifixus! *opus ſine exemplo*, exclamat Bernardus, & ideo opus difficillimum creditu, ac verè *Sacramentum fidei*: nam *DEus*, & *Crux*, quæ combinatio?... combinatio, quæ *Judæis ſcandalum*, *gentibus ſtultitia* videbatur. Judæi enim, plerique certè, nihil de ſuo Meſſia ſublimius expectabant, quàm ut à ſervitute Romana liberarentur, atque adeo Regnum ejus fore *de hoc mundo* putabant: quid mirum, ſi offenſi ſunt, cùm viderunt eſſe *miſerum* eum, à quo ſperabant *finem miſeriæ?*.. gentes autem rem obiter expendentes, leviter exploſerunt dogma

gma

Digitized by Google

gma tam paradoxum, & evidenter *contra ſanæ rationis dictamen* dici putabant, factum eſſe, ut adeo ſe DEus *demitteret*, ut *Filium ſuum* morti tam infami *pro ſervo rebelli* traderet: videtis articuli difficultatem. Sed tollamus ſcandalum! tollamus ſtultitiæ notam, ut, quod credimus, credamus firmiùs, & *ſapienter* nos credere, Judæis, ac Ethnicis demonſtremus. DD. Sodales, quanquam attentionem, qua me hucusque audiſtis, vehementer ſuſpicio, hodie tamen poſtulo *ſingularem;* nam altitudo Myſterii, de quo ſermo eſt, cogit me in adyta Theologiæ penitiùs ingredi, ut ſatisfacere poſſim deſideriis Virorum Nobilium, & Litteratorum, quos planè convenit, ſicut in aliis ſcientiis, ſic in doctrina fidei ſapere ſupra plebem, ne Chriſtianæ legis *ſapientia* minùs, quàm *ſanctitas*, intelligatur. Igitur applicate totum animum, alias cogitationes omnes excludite, & me audite, ſic ratiocinor:

Exercitium Intellectûs. Per impoſiti præcepti transgreſſionem contemptus ab homine DEus fuerat. Hìc, quid erat faciendum DEO, dicite mihi? ... tres (plures cogitari non poſſunt) tres viæ ſuppetebant, per quarum unam *ad læſæ Majeſtatis honorem reparandum* poterat pervenire. Erat *via vindictæ*, qua, ſicut cum Angelis egerat, homines reos omnes æternùm à gratiæ ſuæ, & amicitiæ poſſeſſione proſcriberet: *noluit.* Erat *via gratiæ*, qua injuriam omnem liberali condonatione remitteret:

noluit,

noluit. Erat *via ſatisfactionis condignæ*, quæ exigeret honorationem *æqualem* contemptui, ut ſic placaretur: hanc eligit, fortè quia *media* erat, Juſtitiæque, & Clementiæ æqualiter dabat, quod ſuum erat... Hucusque, opinor, nemo eſt, qui in hoc diſcurſu reprehendere aſſertionem poſſit, veluti *cum ſana ratione* pugnantem. Unum occurrere dubium poteſt, nempe an illa tertia via *poſſibilis* ſit, ſeu, an fieri poſſit, ut præſtetur DEO ſatisfactio *æqualis* injuriæ, quippe quæ propter infinitam dignitatem offenſi malitiam quandam continet *infinitam* ſaltem ſecundùm quid?.... Reſpondeo: ſic eſt, *à nulla Creatura pura* poſſibile eſt poni actionem, quæ haberet *infinitum* pretium, per quod *in genere obſequii* eſſet æqualis actioni infinitæ malitiæ *in genere offenſæ*: ſed hoc non eſt *impoſſibile*, ut defectum *actionis* ſuppleat *Dignitas agentis;* & certè actio, quæ nunquam ſatisfacit Regi, ſi ponitur *à ruſtico offendente*, eadem *ad æqualitatem* ſatisfacit, ſi ponitur *ab alio Rege* in ruſtici gratiam ſe humiliante. Jam igitur, ſicut pro injuria regia ſatisfit per actionem perſonæ regiæ, ſic ratio docet, pro *injuria*, cujus malitia eſt *infinita*, ſatisfieri poſſe per actionem perſonæ, cujus dignitas eſt infinita: quis neget hoc?... nec Judæus, nec Ethnicus negat. Sed hoc dicunt, ſi ad ſatisfaciendum DEO requiritur perſona *dignitatis infinitæ*, tunc requiritur, ut ſe Perſona Divina *humiliet*, quod quia *dedecet DEum*, fieri

non

non poteſt, atque adeò *vita ſatisfactionis condignæ* eligi à DEO non potuit... Siccíne? ergo ſupponis tu, quòd *humiliare ſe*, DEum dedeceat? Ego verò, quòd *humiliatio DEI* opus ſit *ſupra rationem*, concedo; nullus enim intellectus creatus vel ſuſpicari potuit, quòd hanc viam electurus ſit DEus: ſed quòd ſit opus *contra rationem*, hoc nego; nequaquam enim imprudens eſt DEus, ſi aliquem ſui contemptum *permittit*, quando videt, inde *gloriam ſibi majorem* eſſe venturam, nec, niſi qui inſipiens eſt, aliquam in tali electione inſipientiam notet. Huc demum igitur devolvitur quæſtio: an verè DEus per Filii ſui crucifixionem obtinuerit *majorem gloriam*, quàm per viam aliam obtinuiſſet?... Affirmo, & ex duobus argumentis defendo: primum eſt, quia per nullam aliam viam DEus hominibus evidentiùs demonſtravit, *quòd ſit*: 2dum, quia per nullam aliam illuſtriùs oſtendit, *qualis ſit*... Gloria definitur in Scholis, quòd ſit *clara cum laude notitia*: jam quæro, unde factus eſt *notus* Orbi DEus, *quòd ſit?* Dices: inſtinctus naturæ, neceſſitas cauſæ primæ, Mundi productio, ac conſervatio exiſtentiam DEI palàm demonſtrant. Admitto: verùm non ita evidens eſt ex his argumentis concluſio, ut temeraria ingenia cogantur, *vel ſi nolint*, ſubmittere ſe, digitúmque ori imponere: invenerunt arma, quibûs non quidem dubiam nobis victoriam, ſed moleſtam tamen pugnam, & diuturnam facere poſſunt, quando inſtinctum naturæ

M tri-

tribuunt educationi, neceſſitatem cauſæ primæ eludunt per aſſertionem infiniti, Mundi demum productionem caſum appellant. Scio, inepta, & ſtolida reſponſa eſſe: ſed pertinaciter tuentem non eſt facile, ita *clarè* de errore convincere, ut obmuteſcere debeat, habebit diu, quod garriat contrà. Verùm poſtquàm *per evidentiam facti* conſtat, quòd *homo crucifixus* inter latrones palàm, & paſſim etiam à ſapientiſſimis Viris, & potentiſſimis Regibus adoretur *pro DEO!* ita clarum eſt, *quòd detur DEus*, ut seriò dubitare nemo prudens poſſit, ſi *modò ſciat*, hoc fieri, & hominem crucifixum pro DEO *paſſim* ubique coli. Nam inſolubile eſt Auguſtini dilemma hoc: vel, quòd homo crucifixus ſit DEus, perſuaſum hominibus fuit per prodigium, vel ſine prodigio? ſi primum dicas, infero: *ergo datur DEus* Auctor prodigii, & toti naturæ imperans; ſi dicas ſecundum, concludo: *ergo datur DEus*, nam *in tota natura* inveniri nullum medium poteſt ad opinionem tam arduam perſuadendam; non ratio, non auctoritas, non experientia, non promiſſa, non minæ: ergo ſi perſuaſio hæc propagata eſt *ſine prodigio*, hoc ipſum fuit ſummum prodigium, *cujus Auctor eſt DEus.* Age, quid contrà hiſcere hìc quisquam poteſt?.... aut ex quo alio argumento *clarior notitia* nobis eſt, *quòd DEus ſit!*... & tamen omiſi deſcribere *inſtrumenta*, quibûs hæc perſuaſio de Crucifixo DEO effecta fuit per duodecim Piſcato-

ſcatores, ſine litteris, ſine opibus, ſine armis!... non recenſui *impedimenta* illis oppoſita à Philoſophis, à Poppis, à Tyrannis!... nihil dixi *de fructibus*, quos hæc doctrina produxit, quæ omnia augent prodigium, & exclamare nos cogunt: *a Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris!* Pſ. 117.... Igitur, ſi quis eſt Atheus, ſi neget, & perneget omnes evidentias, ducatur ad Crucem: *in hoc ſigno* vincetis! à Cruce non ſolùm *ratio* ſuperatur, ſed etiam opprimitur *contumacia*: adeò *ex Cruce* certa vobis, & *clara notitia* eſt, *quòd DEus ſit.* Jam *qualis ſit*, ex eadem Cruce cognoſcite: neque enim qualiscunque, ſed clara *cum laude* notitia eſt, quam ex crucis aſpectu accipimus, *ut omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis Mundus DEO*, Rom. 3. Quanquam, quò rapior? abite laborioſi diſcurſus, & longæ ratiocinationes! in lucem rapior admirabilem, in qua *uno intuitu ſimplice* plus video, quàm omnes Philoſophi viderant, ex viſibilibus creaturis de inviſibilis Creatoris qualitatibus argumentati!... In cruce, DD. Sodales, in cruce *Ecce Homo! Ecce Homo!* imò vix homo, poſtquàm conſtat, *quòd ſit DEus*, demonſtrat nobis, *qualis ſit DEus!*... Ecce DEus! *Ecce DEus!*

Exercitium Voluntatis. Videte, ipſe de cruce clamat: *videte, quoniam ego ſum DEus!* Pſ. 45. & quid videmus, cùm hoc videmus?... *Te DEum laudamus!* videmus, *qualis ſis!* videmus, quàm *magnus* ſis DEus, quippe cui pro

 inju-

injuria æqualis ſatisfactio præſtari non potuit, niſi à perſona, quæ ipſa *eſſet DEus*! ... videmus, quàm *miſericors* ſis DEus, qui, etſi tuâ nihil planè ad tuum commodum intereſſet vivere nos, noluiſti tamen perire nos ſine remedio, ſicut Angeli perierant! ... videmus, quàm *juſtus* ſis DEus, qui ne impune peccatum eſſet, ſi gratuita condonatione totum remitteres, punire Filium, quàm neminem, maluiſti... videmus, quàm *ſapiens* ſis DEus, qui in re deſperata excogitare potuiſti tam ſtupendum conſilium, ut rigori Judicis, & clementiæ Patris ex æquo indulgeres!... videmus, quàm *bonus* ſis DEus, qui poſt culpæ veniam inſuper invitas ad gloriam, & ad gloriam tantam utique, ut pretium æquale cum ſanguine habeat, qui pro illa nobis comparanda effuſus eſt! ... *Te DEum laudamus!* ... O impii Judæi, qui *ſcandalum* in hac cruce paſſi! ô ſtulti Ethnici, qui ſtultitiam criminati eſtis! ... diſtinguite, ô Judæi, *duplicem adventum* Redemptoris, & Judicis, & non offendet vos intuitus Crucis!... advertite Ethnici, *quo fine*, & *fructu* ſic ſe DEus humiliaverit, & infinitam *Sapientiam* in apparente *ſtultitia* obſtupeſcetis! ... *Te DEum laudamus!* nunquam, neque *quòd ſis*, neque *qualis ſis*, aliunde clariùs, quàm ex cruce cognovimus. Ex hac ignominia ſumma tibi gloria, clariſſima cum plena laude notitia nata eſt: nemo jam cum Athenienſibus *ignoto DEO* ſacrificat, palàm *confitemur te Dominum*, & in ſola ferè

Judæa

Judæa olim notum, modò *omnis terra veneratur!* Cœlitibus jungimur, & *inceſſabili voce clamamus: Sanctus* per Juſtitiam, *Sanctus* per Sapientiam, *Sanctus* per Bonitatem *Dominus DEus! Te DEum laudamus!*...

Atque hoc primum medium eſt *ad amorem,* credere viva fide, *quòd ſit DEus*, & apprehendere, *qualis ſit.* Utrumque docet *DEus Crucifixus*, quod in puncto primo oſtenſum eſt. Jam procedimus à Fide ad Spem: *Spes* ſecundum eſt ad amorem ſubſidium; *Amor* enim *benevolentiæ*, ſaltem ſi fervet, includit deſiderium *amicitiæ, & unionis cum amato*, quod deſiderium utique nemo concipit, *ſine Spe* obtinendi, quod cupit. Itaque manemus in eodem aſpectu Crucis, *DEus Crucifixus!* opus eſt ſine exemplo, ajebat Bernardus, & ideo conſideravimus in hoc opere *Sacramentum Fidei*, quod erat punctum primum: *DEus Crucifixus propter hominem* eſt gratia ſine merito, idem S. Doctor ſubjungit, & ideo *in hac gratia* conſiderabimus *fundamentum Spei*, quod eſt

PUNCTUM II.

DEus Crucifixus propter hominem.

E*Xercitium Memoriæ.* O verè gratia ſine merito! *gratia;* nam ſic DEus dilexit! *gratia ſine merito*, nam quo titulô poteramus beneficium tantum ſperare? imò *gratia contra meritum*, nam *cùm inimici eſſemus*, reconciliati ſu-

mus DEO per mortem Filii ejus, Rom. 5. ô gratia ingens: *DEus Crucifixus propter hominem!* gratia admiranda, obſtupeſcenda, & niſi *ipſa Veritas* teſtaretur, utique incredibilis! incredibilis!...

Exercitium Intellectûs. In hac gratia fundemus noſtram ſpem nam efficax eſt argumentum Apoſtoli qui dedit nobis Filium, & in crucem pro nobis dedit, quis negabit?.... video ego DEI Filium *in manibus ſanctæ Matris ſuæ*: factus eſt infans, ludit, arridet, blanditur! *ſperemus bene*! video eundem *in manibus Sacerdotis*, latet ſub panis ſpecie, fit Hoſtia, immolatur: *ſperemus bene!*... non ſunt hæc argumenta fiduciæ vanæ: ſed cùm video DEum *inter manus lictorum*, DEum ligatum vinculis, laceratum flagris, affixum cruci propter me, & *pro me peccatore*, tunc quàm *plenus dolore* aſpectus eſt, tam *ipſe dolor* eſt plenus ſolatiô; nam qui *crucifixus eſt propter me*, quid debuit facere, quod non fecit, ut me ſalvaret!... *ſperemus omnia!*....

Exercitium Voluntatis. Accurrite fratricidæ Caini, quamquam adhuc manus ex impia cæde madeant! adeſte ſcelerati Sodomitæ, quibus jam impendentes gravidæ ignibûs ſulphureis nubes ultimum minitantur exitium! venite obſtinati Pharaones, quorum capiti procella jam imminet & hora ſuprema inſtat!... huc ad Crucem, ad Crucem ô Judæ proditores! huc homines impii, blaſphemi, ſacrilegi!

huc

huc latrones, fures, injuſti, adulteri! huc ſeducti juvenes, infames viri, inveterati dierum malorum ſenes! huc mille mortium rei, tranſtra, cruces, rotas, & rogos meriti, ad crucem! ecce! hic pendet, qui *tollit peccata mundi!* per hunc ſpes veniæ deprecantibus venit! nulla vos ſcelerum quantitas, nulla qualitas terreat: *unum ſolum* peccatum irremiſſibile eſt, *unum ſolum* nolite cæteris addere!... Scitis, quòd illud tantum ſit ſcelus, cujus ſolius venia per crucem non venit? deſperatio eſt, *deſperatio*, quæ à cruce vos abſtrahit, ad quam Crucifixus nos vocat!... Ah! abſit à nobis deſperatio! non vult DEus (teſtis eſt iſta Crux) non vult DEus mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat!... parùm dixi, cùm dixi, DEus *non vult* mortem peccatoris: explicari verbìs non poteſt, neque, quantum ſit *deſiderium DEI*, ut me convertam, neque quantum futurum ſit *gaudium DEI*, cùm me convertero. Chriſte JEſu, quàm latum ingredior amoris mare, cùm inſpicio *apertum cor*, ut, quantùm me ames, videam. O quantos hìc fluctus *deſideria* cient, quibûs meam converſionem deſideras! Deſideria *paſtoris* video, qui propter ovem unam relinquit nonaginta novem, ut per immanes labores, & mille pericula contumacem beſtiam lupis eripiat!... Deſideria *pauperculæ mulieris* adverto, quæ cùm unum ex decem denariis perdidiſſet, triſtata, accendit lumen, everrit domum, ſcrutata eſt omnes angu-

Digitized by Google

angulos, donec reperit!.. Deſideria *gallinæ* intelligo, ſemper anxiæ, ut pullos ſuos colligat ſub alas, ne aliquem accipiter rapiat!... DD. Sodales, potuítne DEus, quas pro noſtræ ſalutis cura *cogitationes* volvit, clariùs manifeſtare, ac in parabolis tam exquiſitis detexit?.. ſed adhuc illam curam præ cogitationibus multò clariùs *verba* demonſtrant. O DEus, quoties ſacra Biblia volvo, quidquid in oculos incidit, admonet, quantô deſideriô me ſalvum velis: nam in toto volumine (ô ſtupenda Bonitas!) in toto volumine *nullus eſt ſermo, niſi de me!*... Si loqueris *Angelis*, de me loqueris, & præcipis, ut cuſtodiant me in omnibus viis meis!... ſi loqueris *Patriarchis*, de me loqueris, & venturum promittis Meſſiam, qui ſalutis meæ negotium agant!... ſi loqueris *Prophetis*, de me loqueris, & jubet, ut iræ tuæ comminationes ad ſalubrem terrorem denuntient!... ſi loqueris *Apoſtolis*, de me loqueris, & imperas, ut Evangelium prædicent, ex quo doceant, quòd me invites ad gratiam, & appropinquaverit regnum cœlorum!... quin etiam, quoties *Filio* loqueris, loqueris de me, & redemptionis meæ difficilem laborem commendas!... Qui toties de me loquitur, quaſi mea ſalus totum, quô occuparetur, negotium eſſet, obſtupeſcite Cœlites! quantô ille deſideriô me deſiderat, ſuum eſſe!.. Et accedunt verbis *opera* ejusdem deſiderii teſtimonia, omni prorſus exceptione majora. Ut ab initio mundi, ſic *uſque modò* opera-

operatur *Pater*, neque eſſe Pater ceſſavit, quanquam ego Filius eſſe deſierim! *uſque modò* operatur *Filius*, & ubique ſe oculis objicit Crucifixum, ut veniam, & hauriam ſalutem ex fontibus Salvatoris! *uſque modò* operatur *Spiritus S.* & inſtat. urget, obſecrat, increpat in omni patientia, & doctrina! tanta Trinitatis contentio eſt, et *cupido*, ut me convertam!... Quòdſi convertero me demum ſeriò, num minus *gaudium* erit?... Imò in imagine filii prodigi video me! ſcilicet reduci, jam à longè obviàm ibis. Pater mi, irrues in amplexum pœnitentis, quaſi ignarus, certè immemor ſcelerum, quæ commiſi! reſtitues veſtem gratiæ, & annulum redintegratæ amicitiæ ſymbolum, quaſi nunquam à te diſceſſiſſem! quin & ſuper innocentes evehes me, atque, ſi velim, in ſupremo ſanctitatis, & gratiæ gradu conſtitues, id quod me tot Magdalenæ, tot Petri, tot Pauli, tot Matthæi, tot Zachæi, tot Davides, tot Auguſtini, tot Thaides, tot Pelagiæ abundè docent. Quid? quòd ſciam, tantum ex mea converſione tuum gaudium fore, ut neque infinita capacitas tui pectoris (nam cur ſic loqui non liceat?) magnitudini lætitiæ futura par videatur: partem ejus effundes in Angelos, quos ad tibi congratulandum vocabis: partem in eos, qui pro me cooperabuntur tibi, tunc autem non ampliùs recordabuntur *preſſuræ*, & ſuſcepti laboris, propter gaudium, quòd natus fuerit homo in cœlum: partem

maximam in meipſum utique cum Auguſtino experturum, dulciores eſſe lacrymas pœnitentium, quàm gaudia theatrorum. Et ego dubito? ego moras traho? imò ſpe bona plenus, quam facis mihi *DEus Crucifixus propter hominem*, ſurgam, & ibo ad Patrem meum! Ite mecum, DD. Sodales, per Filium ad Patrem imus, ad Patrem, qui mirîs modîs deſiderat, ut redeamus, & mirîs gaudiîs exultabit, cùm redierimus, eamus!... dicamus ei: Pater, peccavi! *mea culpa!* peccavi in cœlum! *mea culpa!* peccavi coram te! *mea maxima culpa!* Jam non ſum dignus vocari filius tuus!... attamen propter Filium tuum *crucifixum propter me* (ſic ſpero) in gratiam recipies me, & ſaltem *unum de mercenariis* facies! unum ſaltem de mercenariis!...

O bona, ô læta ſpes! Ego ſic recreor, DD. Sodales, ab iſta ſpe, ut vehementer incitari me ſentiam, ne hìc ſubſiſtem. Qui pro me crucifixus eſt, non eſt contentus, ut recipiar *pro mercenario* (tanti pretii ſanguis majorem gratiam meretur mihi) amicum, fratrem, filium ſibi cupit, & cohæredem. Hæc me cogitatio *à ſpe* in amorem rapit: *amor* ex mercenario amicum, fratrem, filium facit. Ergo ſedeamus iterum, pergamus meditari, & amori, *amori* laxemus pectus! rumpantur coſtæ, ut amplius ſpatium affectui tam ſuavi fiat!.... Amoris incitamentum eadem Crux ſuppeditat. Opus ſine exemplo, *DEus Crucifixus*, præ-

cipuum

cipuum eſt objectum *noſtræ fidei*, quod vidimus in puncto primo: gratia ſine merito. *DEus crucifixus propter hominem*, fundamentum eſt *noſtræ ſpei*, quod contemplati ſumus in puncto ſecundo: Charitas ſine modo, *DEus crucifixus ab homine*, incitamentum eſt efficaciſſimum *noſtræ Charitatis*, quod modò expendemus: ita omnia in Cruce ſunt. Sedeamus.

PUNCTUM III.

DEus Crucifixus ab homine.

EXercitium *Memoriæ.* Dicet aliquis: ſi DEus crucifixus eſſet propter hominem *à dæmonibus*, hæc conſideratio incitamentum *amoris* eſſet: ſed DEus crucifixus propter hominem *ab homine*, non amoris, ſed horroris, pudoris, doloris argumentum videtur. Aſſentior omnino; horror, pudor, dolor occupant hærentem *in cortice* horum verborum: *DEus crucifixus ab homine!* ſed nos guſtemus *nucleum*, quem Bernardus detexit. DEum crucifigi *ab homine*, & tamen *propter hominem*, eſt charitas *ſine modo, ſine modo!* neque aliunde magis apparet, quàm ſit amans DEus *erga nos*, & quàm amabilis *in ſe*: propterea dixi, in hoc puncto *incitamentum efficaciſſimum amoris* poni: addo, in hac conſideratione præter amoris incitamentum, *perfectiſſimum etiam exemplum* oſtendi.

Exercitium Intellectûs. Ecce enim, non dico cum Bernardo, *ſic naſci*, ſed dico: *ſic mori voluit*

luit, qui voluit amari! ita *ſic* mori, *ſic* crucifigi propter hominem voluit ab omni genere hominum, per omne genus injuriarum: ô *charitas ſine modo!*... Nemo dicat: *innocens ſum à ſanguine Juſti hujus!* cauſa, propter quam crucifixus eſt, eſt peccatum originale, & actuale; quisquis igitur peccatum poſuit, cauſam poſuit, atque adeo reum ſe fecit mortis Chriſti: & ita cooperati ſunt atrociſſimo ſceleri Reges, & Principes per Herodem, Præſides, Magiſtratus, & Judices per Pilatum, Eccleſiaſtici per Judam, & Petrum, Laici per Judæos, & Ethnicos, Litterati per Scribas, & Phariſæos, Plebeii per incolas, & alienigenas: tanta conjuratio *ab omni genere hominum* fuit! & ex tot conjuratis, à quibus JEſus crucifigebatur, non fuit ullus, pro quo non oravit ex cruce: *Pater ignoſce!*... & hoc *poſt omne genus* injuriarum, poſt vincula, poſt alapas, poſt verbera, poſt ſputa, poſt contumelias, poſt atroces calumnias, in ipſo infamis, & crudeliſſimæ mortis articulo!... prô! *Charitas ſine modo!*.. ſic mori voluit, qui voluit amari!... & verò quis ita ferreus eſt, ut ſic amantem non redamet?.. Qui ſic amavit nos, DD. Sodales, cogitate, quàm tenerum cor habeat, quàm bonus Dominus ſit, quàm dignus amari!... quid? poſſumúsne efficacius aliud amoris *incitamentum* requirere?... Imò jam deſideriô redamandi flagrantes, potiùs *exemplum* intueamur,

mur, ad cujus ideam noſtrum amorem formemus.

Superi! quàm multa unus Crucis aſpectus docet!.. ſic mori voluit, qui voluit amari, adde, qui voluit amoris modum docere. Quis enim eſt modus amoris? reſpondet rurſum Bernardus: *ſine modo diligere.* Et ubi reperiemus amorem ejusmodi? quid circumſpicimus? in Cruce, in Cruce eſt *charitas ſine modo!* In Cruce implevit DEus prior præceptum amoris primum & maximum, ita prorſus *amando nos*, ſicut vult à nobis *amari ſe.* Rem percipite diligenter. Jubemur amare DEum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex totis viribus: dico, tali amore amatos fuiſſe nos à Chriſto, & in amore illo *erga nos*, *exemplum practicum* datum eſſe amoris, quô ferri *erga DEum* debemus. Nam quid eſt amare *ex toto corde?* eſt, non dividere cor, ſed totum objecto uni affigere. Sic amavit nos JEſus, & præter nos aliud nihil extra ſe!... Quid eſt amare *ex tota anima?* eſt omnes animæ affectus uni ſoli impendere, eíque voluntate perpetua inhærere. Sic amavit nos JESUS, & neque habuit *gaudium* aliud, niſi de noſtro bono, neque *deſiderium* aliud, niſi noſtræ ſalutis, neque *timorem* alium, niſi de periculis noſtris, neque *triſtitiam* aliam, niſi de noſtro malo, nec denique aliam *iram*, niſi propter obſtacula, quæ benefacere nobis volenti opponebantur!... Quid eſt amare *ex tota mente?*

eſt

eſt ſummè rem aliquam vel perſonam appretiare, ita ut nihil ſuprà æſtimes. Sic amavit nos JESUS, nec quidquam *ſupra nos*: itaque pro nobis, & ut ſalvaret nos, dedit omnia ſua, ſuæ mentis *gaudium* in monte olivarum, *libertatem* ſuam in captivitate, *famam*, & exiſtimationem ſuam in tribunalibus, *ſanguinem* ſuum in flagellatione, ipſam *vitam* ſuam in cruce!... Quid eſt amare *ex totis viribus?* eſt omnes vires in amati bonum intendere. Sic amavit nos JESUS; & per annos triginta tres pro nobis fatigavit *pedes* per itinera, applicavit *manus* ad miracula, adhibuit *oculos* ad lacrymandum, exercuit *linguam* in prædicando, totum *corpus* laborando exhauſit, adeóque ſibi pepercit nihil, ut ne culcitram quidem haberet, in qua feſſum *caput* reponeret!... Ah! Charitas ſine modo! *ſine modo!* ecce ſic vivere, ſic mori voluit, qui voluit amari. Itaque quoties in Crucifixum conjicís oculos, crede, ô homo, dici tibi de cruce, quod aliquando V. P. Paulus Segneri S. J. famoſus Apoſtolus audivit dici ſibi: *volo, volo, ut invicem amemus!...*

Exercitium Voluntatis. Et *quis* hoc vult? *DEus Crucifixus ab homine* in tantæ injuriæ compenſationem vult, *quid*? ..ut ametur ab homine, ut ametur!.. *Cur?* ut poſſit hominem æternùm amare, ut poſſit amare!.. ô amabilis DEus!.. ſic mori voluit, qui voluit amari!

mari! ô Charitas ſine modo, *ſine modo!..* Ergo bene eſt! cum Paulo ſentio: *Si quis non amat D. N. J. C. ſit anathema!...* putreſcat vivens, ab hominum ejectus conſortio, in fimetum projectus, cum fœtente anhelitu longam mortem producat!.. Anathema campis ejus, & agris! devaſtet grando, devoret locuſta, exurat ſol, lolia, & urticæ omnem aream teneant!... anathema ædibus ejus, & vineis, & horreis! ruat ignis de cœlo, conſumat collectas fruges, & quidquid opum eſt, incendiô pereat, ut redigatur ad incitas miſer, cogatúrque atri panis fruſtum mendicando requirere!... anathema negotiis ejus, & conſiliis omnibus! nihil ſuccedat ad votum! exuatur rebûs, & ſpebûs, quibûs inflatur, totáque cum familia exterminetur! *tradatur Sathanæ in interitum carnis!* meritò hæc patitur, *ut ſpiritus ſalvus fiat*, 1. Cor. 5. & qui non amavit *ſic* amantem, compellatur amare punientem.... Nos autem, abſit, ut expectemus, donec nos pœnîs ad amorem compellas! poſtquàm pro ipſis crucifixoribus crucifigi voluiſti; intelligimus demum, quantum nos *ames*, & ex amore erga nos concludimus, quàm ſis *amabilis*, quàm dignus amari, ſic mollitum eſt cor: amamus! *amamus!..* Verùm DD. Sodales, éſtne ſerius amor? amor *in affectu* parùm prodeſt, ſi *effectum* non habet: unde probamus amorem?.. Petrus confidenter interogavit: *Quid ergo erit nobis?* nempe

amo-

amorem ſuum jam ex operibus demonſtraverat: *Ecce nos reliquimus omnia*, *& ſecuti ſumus te!* hic amor eſt verus, hic ſolidus, hic natus ex *Fide* viva, & bona *Spe!* ſed nos, quanquam ſæpè cum profundo ſuſpirio dicamus: *O DEus! ego amo te!* vereor tamen, ne fateri conſcientia cogat: *Ecce reliquimus nihil, nec ſecuti ſumus te!* non faſtum, & ambitum, non illicitas cupiditates, non vanos metus præſentium malorum *reliquimus!* adhuc vindictæ cupido flagrat, nec adduci poſſumus, ut ridere in amicitiam cum eo velimus, qui injuriam fecit! .. adhuc per oppreſſos æmulos ſtatutum eſt ſcandere in gloriæ ſolium! .. adhuc affundimus oleum fœdis amoribus, quibûs uritur cor! .. adhuc exedimur curîs, & ſtulto labore conſumimur in nugis nugarum, cum negligentia negotii, quod *unum eſt neceſſarium;* ... Et quæ eſt tui *ſequela?* heu! quantum inter te, & nos jam eſt intervallum! *abnegare nos* deberemus, & odiô ſanctо nos odiſſe: profitemur noſtrî amorem palàm, nec quidquam, niſi quoad haberi non poteſt, *negamus* nobis! *tollere crucem* noſtram deberemus, & ſubmittere humeros *levi oneri*, quod lex imponit: excutimus impatienter, nec diutiùs ferimus, niſi quamdiu cogit metus majoris mali! *ire* viam deberemus, quâ præis tu, fortitérque premere cruenta veſtigia: excedimus! divertimus! & niſi caſſamus omnino, ſaltem currus, & equos circumſpicimus, ut

com-

Digitized by Google

commodiùs ſequamur delicati ſervi peditem Dominum. *Ecce! reliquimus nihil, nec ſecuti ſumus te!* & placemus nobis, ſi aliquoties dicimus: *O DEus, ego amo te!* ah! amor hic in lingua eſt natus! amor phantaſticus, amor inutilis eſt! *Quid ergo erit nobis?* quid erit?... pars noſtra *cum hypocritis erit*! ſic amantes non amat DEus! odium æternum erit!

COLLOQUIUM.

HEu! odium! æternum odium! averte hoc malum, JEſu! & proſtratum ad ſacros pedes amicè reſpice! ſi hactenus non amavi, hodie incipio, *relictis omnibus ſequar te!* valete injuſtæ opes, lucra iniquitatis! *dimidium bonorum* pauperibus dabo, & ſi quid aliquem defraudavi, *reddam quadruplum!*... valete inſani amores! hodie finis ſit infamis commercii, & turpis amicitiæ! rumpo catenam ferream, quâ me ligavit ferrea conſuetudo infelix mancipium!.. valete inanes ſpes, & ſtolida deſideria, quibus excrucior, ut hominibus placeam! *ſervire DEO* regnare eſt: *amare DEum*, omne bonum!... *amor Crucifixi* ego ſum: igitur *amor meus* crucifixus ſit! hic meus theſaurus eſt: hìc meum ſit cor! Eja lætare anima mea! *habes multa bona* in cruce hac, bona *poſita in annos æternos*, quos tibi merita Crucifixi emerunt! *requieſce*, nec turberis ampliùs erga plurima! *comede, bibe, epulare* in hac amoris menſa; ama JEſum *crucifixum à te!* noli rurſum crucifigere *crucifixum propter te!* ama

N JEſum

JEſum, & amabit te JESUS oblitus injuriæ, amabit æternùm!.. quid ultra poſtulas? *amabis*, & *amaberis* æternùm! non ſufficit tibi?.. *Ah! ſatis eſt, Domine, ſatis eſt!.. Pater noſter.*

REFLEXIO.

SEdeamus !... S. Elzearius Vir ſanctitate clarus, conditione illuſtriſſimus, dignitate Galliæ Mareſcallus, *in aſpectu Crucifixi* reperit omnia, hoc eſt, reperit in actionibus *exemplum*, in tentationibus *auxilium*, in adverſis ſolatium. Igitur hic ſit fructus Meditationis de *Crucifixo*, facite, quod fecit Elzearius, *frequenter aſpicite Crucifixum. In actionibus* magni momenti & laboris aſpicite Crucifixum: horrorem moleſtiæ, & tædium difficilis applicationis auferet exemplo ſuo *DEus crucifixus. In tentationibus*, cùm in foribus peccatum adeſt, jamjámque penetralia cordis ingredi toto impetu contendit, aſpicite Crucifixum: auxilium periclitantibus feret vel uno gemitu vocatus in opem *DEus crucifixus propter hominem. In adverſis*, quando intra & extra vos anguſtiæ ſunt, aſpicite Crucifixum: devota cogitatio commiſſæ *culpæ* molliet dolorem *pœnæ: ſtatuite peccatum veſtrum* contra vos: peccatum veſtrum, peccatum grande, ſævum, enorme eſt. *DEus crucifixus ab homine.* Ecce tanti eſt vel unus aſpectus Crucifixi, ſi non fiat obiter, & cum exercitio fidei, ſpei, ac charitatis jungatur. Atque utinam harum virtutum uſus nobis eſſet frequentior! utinam ſaltem quotidianus!

Quàm

Quàm meritò hoc optem, poſtea conſiderabimus; nunc, quia pro illis quotidie exercendis tempus accommodum tempus Miſſæ eſt, & ipſa inſtitutio Euchariſtiæ, quæ in Miſſa repræſentatur, propriiſſimè eſt Sacramentum fidei, ſpei, & charitatis, *methodum* dabo facilem, qua uti cum fructu etiam poſthac poſſitis, ſive cùm Sacrificio aſſiſtetis, ſive cum accedatis ad S. Synaxin. Surgamus.

EXERCITIUM II.
MISSÆ SACRIFICIUM.

OFferimus hanc Miſſam DEO hac intentione, ut impetremus gratiam perfecti amoris, dicimus cum S. Ignatio: *Amorem tui ſolum, DEus, cum gratia tua mihi dona, & dives ſum ſatis! ſatis!...* flectamus.

MISSÆ PARS I.
Euchariſtia eſt Sacramentum Fidei.

INitio Miſſæ fit *Præparatio ad Fidem*, ideo poſt humilem confeſſionem culparum, & quasdam orationes, quibus mens elevatur ad DEum, bis legitur S. Scriptura, *Epiſtola*, & *Evangelium*, ut intelligamus, veritatem Myſterii Euchariſtici nobis ex utroque verbo DEI conſtare, ex *ſcripto*, & *tradito*. Itaque nihil hic *oculis* credite! oculi dicunt etiam poſt conſecrationem: videmus album, rotundum pa-

 nem!

nem! falluntur: non eſt panis. Nihil credite *manibus!* manus dicunt: tangimus panem! falluntur: non eſt panis. Nihil credite *guſtui!* guſtus dicit: guſto panem! fallitur: non eſt panis. Auribus, *auribus* credite! ſolæ aures non falluntur, aures audiunt verba Veritatis: *Hoc eſt corpus meum!* conjungite *verba* loquentis *potentiæ*, & non erit difficile credere multa prodigia in uno contenta prodigio, credere prodigium *Tranſſubſtantiationis*, quo panis mutatur in carnem, prodigium *penetrationis*, quo corpus viri in punctum ſe contrahit, prodigium *replicationis*, quo idem corpus eodem tempore mille locis eſt præſens, prodigium *ſuſtentationis*, quo accidentia conſervantur ſine ſubjecto, denique prodigium *amoris*, quo ſe *conveſcens in edulium* dedit, qui *ſe naſcens ſocium, & moriens in pretium* dederat, & *regnans* eſt daturus *in præmium*. En! quàm multa eſt in uno myſterio materia fidei. Surgamus, profiteamur alacriter *Evangelii* veritatem! dicamus: *Credo, Domine, quia tu dixiſti! Credo! adjuva incredulitatem meam!...*

MISSÆ PARS II.

Eucbariſtia eſt Sacramentum Spei.

SIc præparatus per fidem animus aſſurgit *ad Spem*, quam oblatio *panis & vini* excitent, cruentæ in cruce oblationis incruenta imago. Triplex eſt Thronus Chriſti: Thronus *gloriæ*

in

in cœlo, ubi ſedet ad dextram Patris: Thronus *Juſtitiæ* in valle Joſaphat, quo deſcendet in nubibus cœli cum poteſtate & majeſtate magna: Thronus *gratiæ* in altari, in quod ecce! jam nunc ſe demittit: venite, adoremus! *Adoro te devotè latens DEitas, quæ ſub his figuris verè latitas! ... Tibi ſe cor meum totum ſubjicit, quia te contemplans totum deficit!...* Eja! apparatum *Convivium* eſt, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria Paſſionis ejus, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur! ô ſpes beata!... *In te, Domine, ſperavi, non confundar in æternum!...*

MISSÆ PARS III.

Euchariſtia eſt Sacramentum Amoris.

SEd nimirum non licet comparere in hoc convivio *ſine veſte nuptiali:* Sacramentum amoris eſt, imò ultimus conatus amoris, nam in illa nocte, *in qua tradebatur JEſus*, cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos, & Euchariſtiam inſtituit, ut eſſet nobiſcum corporaliter etiam, uſque ad conſummationem ſæculi: amemus invicem, ut cupiamus cum ipſo *frequenter* eſſe per Communionem Sacramentalem, *quotidie* per Spiritualem. Normam utriusque Communionis praxis Eccleſiæ docet. Vult Eccleſia, ut accedamus *puri:* ideo Miniſter ad aram debet ante diſtributionem S. Synaxeos recitare *Confiteor:* vult, ut accedamus

devoti: ideo converſus ad populum Sacerdos S. Hoſtiam exhibet, & dicit: *Ecce Agnus DEI!* Vult, ut accedamus *reverenter*, ideo ter repetitur: *Domine non ſum dignus.* Qui ſic accedit, accedit *amans*, & dicitur illi cum effectu: *Corpus D. N. J. C. cuſtodiat animam tuam in vitam æternam!* O ſic! ſic veni, & *Anima Chriſti ſanctifica me!* eſto anima animæ meæ, ut placeam tibi!... *Corpus Chriſti ſalva me*, ne ſine fructu ſis occiſus pro me!... *Sanguis Chriſti inebria me*, ut plenus DEO, nihil humile volvam animo!... *Aqua lateris Chriſti lava me*: ut nihil reſtet, quod diſpliceat tibi!... *Paſſio Chriſti conforta me*, hominem imbellem, & cuivis tentationi ſuccumbentem! *O bone JESU exaudi me* tibi ſupplicem, & à te uno ſperantem auxilium in periculis, in miſeriis, in negotiis meis! ... *Intra tua vulnera abſconde me* contra inſidias mundi!... *Ne permittas me ſeparari à te* per blanditias carnis!... *Ab hoſte maligno defende me*, ne vincar nimis!.. *In hora mortis meæ voca me*, ne deficiam in anguſtiis!.... *voca me*, *& jube me venire ad te*, ô felix vocatio! *ut cum Sanctis tuis laudem te in ſæcula ſæculorum!* ô votum votorum omnium compendium! *Amen!* fiat! ô fiat!... Et fiet, DD. Sodales, fiet! ita nos adjuvet DEUS ter Opt. Max. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus!...

Habetis tertium modum devotè Sacrum audiendi, qui in exercitio virtutum Theologicarum conſiſtit. Utilitatem hujus exercitii

ſinite,

ſinite, ut modò pluribus vobiſcum expendam: fiet DEO dante, ut habitibus in Baptiſmo infuſis diligentiùs, quàm forte hucuſque, uti velitis. Sedeamus.

EXERCITIUM III.
CONSIDERATIO
De Uſu Exercitii Virtutum Theologicarum.

TRia ſunt, quæ perdunt orbem, nimis exigua fides, nimis magna ſpes, & nimis languida charitas. Videamus, num ita ſit, & quod huic malo remedium proſit?

PARS I.
Quantus ſit in hoc uſu defectus?

PRimùm, quàm exigua ſit etiam inter Catholicos *Fides*, conſideremus. Ite, obſecro, ite, non dico, per pagos & oppida, ſed per celeberrimas urbes & aulas, quantam ubique rerum fidei *ignorantiam* in omni ætate, ſexu, & conditione hominum deprehendetis! *Quid*, *cur*, *quomodò* plerique credant, attendite. Pueris *Catechiſmus* præſcribitur, ut ex memoria recitent: bene fit! explicantur ſingula capita pro captu ætatis: laudo! per interrogationes repetuntur omnia, quæ centies inculcantur: optimè! atque utinam hoc ſaltem *ubique*, & *bonâ methodo* fieret, hoc eſt, *clarâ* & *ſolidâ*, cujus ope veritates ſummi momenti

Digitized by Google

à teneris mentibus & *facilè* tenerentur, & apprehenderentur *non obiter!* Verùm ſi fiat hoc, & nihil ampliùs, ſi homo paulò adultior hæc puerorum, ùt vulgò creditur, exercitamenta faſtidit, ſi totum ſe Medicinæ, aut Jurisprudentiæ, aut Oeconomiæ, aut bellicis, aulicísve negotiis dedit, quid fit? totum ille quidem *Catechiſmum*, qui univerſi Chriſtianiſmi compendium eſt, *memoriâ* tenet, ſed *intellectu* vix tenet: credit, quæ didicit, ſed *quid* didicerit, propè penitus neſcit, quia, *quando dicit*, non fuit capax, ut caperet, & factus capacior, *diſcere deſiit*. Myſteriorum, quæ credimus, naturam, cauſas, effectus, circumſtantias, uſum putamus eſſe puncta diſcutienda Theologis: ideóque de ſimilibus nec audire volumus, nec legere: atqui propterea hæc diſcutiunt Theologi, ut doceant alios in libris & cathedris, ex quibus qui doceri non vult, dogmata ſuæ fidei, ſicut nunquam profundiùs penetrabit, ſic nunquam ordinabit ad praxin. Iidem, qui ſic merè, ut ita loquar, *mechanicè* ſciunt, *quid* credant, ſi interroges: *cur* credant? neſcio, an obtenturus ſis aliud reſponſum, quàm illud vulgi: *Quia ſic â puero ſum doctus.* Et ſi quis rectè reſponderit: *Credo, quia hæc DEus, qui ſumma veritas eſt, per Eccleſiam ſuam revelavit*, tamen ſi urgeas, unde ſciat, quòd revelaverit DEUS? obmuteſcet, vel dicet: *ſic dicitur.* Ego non dico, quòd non ſufficiat ad ſalutem fides ſic conſtituta, ſed ſi attendat, *quomodo*

ejus

ejusmodi homines credant, dices mecum: quòd illorum fides languida ſit, debilis, & ſi non mortua, ſaltem *moriturient.* Certè vim non habet, ut animum impellat ad virtutes heroicas, imò vix ut tempore tentationis intra limites modeſtiæ teneat.. Plus dico: ita in illorum fide *exigua* virtus eſt, ut convitium projecti oris calumniâ impudentis hiſtorici, obvium argumentum colloquentis Hæretici ſufficiat ad conjiciendum animum in varia dubia, movendásque peſſimas ſuſpiciones: annon Romanæ Eccleſiæ dogmata fundata ſint in arena, & Popparum ſomnia eſſe oracula per atrox mendacium prædicentur? Videtis ex his abundè, quanta inferat Orbi mala *nimis exigua Fides.*

Verùm quantum alii in Fide peccant *per defectum*, tantum alii in Spe *per exceſſum* offendunt. *O præſumptio nequiſſima* (nam præſumptio eſt *ſpes nimis magna*, & malæ ſpei nomen prætendit) *ô præſumptio nequiſſima, unde creata es cooperire aridam malitiâ?* exclamat c. 37. Eccleſiaſticus: & quis neſcit, quàm mali ſint homines propterea, quia DEus bonus eſt? ô ſi DEus eodem momento, quo culpa committitur, immitteret pœnam, quàm ſanctus repentè univerſus Orbis evaderet? aut agite, ſi videret ſuperbus, erectum ad oſtium ſuæ domûs patibulum eſſe, ex quo ſuſpenderetur, ut primùm contra æmulum quidquam auderet moliri, putatis repertum iri Amanum aliquem,

Digitized by Google

qui per calumniam in Mardochæum inſurgeret? ſi Propheta aliquis Betſabeæ dixiſſet, ſi committeret adulterium, totâ vitâ leproſam fore, creditis, non reſtituram fuiſſe, quamquam eſſet Rex, qui vocabat ad facinus? ſi prævidiſſet Pharao, ſe, ſi pergeret Hebræos perſequi, citra dubium, & ſine mora in mari rubro ſepultum iri, quis dubitet, quin deſtitiſſet? Et hodie quis urgente etiam vehementiſſima fame de cibo quamquam ſapidiſſimo guſtat quidquam, ſi ſciat infectum veneno eſſe præſentem mortem allaturo tangenti? Idem credite nobiſcum fore: vinceremus tentationes etiam acerrimas, ſtaremus invicti etiam inter occaſiones periculoſiſſimas, etiam cui diutiſſimè aſſuevimus, vitio fortiter reſiſteremus, ſi inter culpam & pœnam ſciremus certò nullam eſſe mediam moram. Nunc verò admirabilis patientia DEI tamdiu conniventis facit, ut peccemus audaciùs, quia credimus, poſſe nos peccare *impunè*, ſive quòd ſuſpicemur, fortaſſe DEum noſtris moribus ne attendere quidem, ſuáque felicitate abſorptum, quid homines faciant, nihil curare: ſive quòd ſperemus, quòd, qui per infinitam miſericordiam promptam ſemper promiſit veniam *pœnitentibus*, etiam peccantibus *pœnitentiæ tempus* & occaſionem negaturus non ſit. *O præſumptio nequiſſima!* DD. Sodales, potéſtne gravius cogitari malum, quàm quod à *nimis magna ſpe* illatum eſt Orbi?

Ad-

Addite jam malum aliud, quod infert *nimis languida charitas.* Ah! amor non amatur, ingemiſcere hìc lubet cum ſancta anima: *Amor non amatur!* propterea quidquid *pro DEO* vel agendum eſt, vel vovendum: continuò nimis eſt difficile, nimis moleſtum, intolerabile; licèt interea eadem prorſus, aut etiam multò difficiliora agamus, & feramus in gratiam Principis, ut juvemus amicum, ut placeamus amaſiæ, *propter pugillum hordei, & fragmen panis.* Ez. 13. Narrant, fuiſſe Religioſum quemdam illorum ex numero, quibus à veſte magis, quàm à ſpiritu hoc nomen damus. Is, cùm per ſylvam iter ageret, & aberrantem à via nox occupâſſet, in obviam caſam, quam per tenebras intermicans lampas oſtenderat, ſe intulit, diverſorium poſtulans. Monent incolæ, gratum hoſpitem eſſe, ſed cubile, quod exciperent, nullum, niſi quod infeſti lemures habitarent. Vir animoſus, nihil à ſpectris ſe metuere profeſſus, ingreditur, & ùt erat feſſus à via, poſt brevem cœnulam, & paucas preces ſe componit ad ſomnum. Vix decubuerat, ecce tibi! repentè totum cubile intremit; ſubit tumultuans larva, magnóque ſtrepitu terrorem ſpargit. Quid hìc advena? jam audacia in timorem ſe verterat; involutus ſtragulis concutitur metu, ſudat, alget, totum pectus trepidatio habet. Attamen ipſe metus, ne ingraveſceret malum, revocavit fugientem animum paulò pòſt, adegítque, ut diceret voce

tre-

tremula quidem, intelligibili tamen: *Omnis ſpiritus laudet Dominum!* audiit ſpiritus; vos audite, quid fecerit. Propiùs admovit ſe lecto, jacentis pectori manum impoſuit, dixit cum amaro ſarcaſmo: *Vah! quam ex frigido corde hæc verba prodeunt!* ô ſalubris correptio! DD. Sodales, tangat quisque cor ſuum. Enimvero ſæpe bona verba ex corde prodeunt: *bona verba*, cùm ad Pœnitentiæ Sacramentum accedimus: *bona verba*, cùm bonis viris veſtræ ſalutis ſtudioſis colloquimur; *bona verba*, cùm infortunium timemus, cùm premunt ærumnæ, cùm morbus affligit, cùm alia mala circumſtant; at verò, quia illa bona verba *ex frigido corde* prodeunt, *intra verba* conſiſtit omnis emendatio, aut certè diuturna non eſt. Frigus igitur, *frigus cordis eſt cauſa*, quòd tot bonas *reſolutiones* excipiat *procraſtinatio*, & propter procraſtinationem omittatur *executio*, aut ſaltem poſt executionem nulla *proſecutio* fiat, ſed perpetui ſequantur *relapſus*, & ex relapſibus tot hominum ſempiternus *interitus*. Merentur, opinor, hæ conſiderationes, ut, poſtquam vidimus, quàm verè hæc tria perdant orbem, nimis exigua fides, & nimis magna ſpes, & nimis languida charitas, jam *de remedio* cogitemus.

PARS

PARS II.
Remedia ſuggeruntur.

INcipiamus de *Fidei incremento* agere. Dico: creſcet fervor fidei, ſi non ſolùm captivare *intellectum* ſtudeamus in obſequium fidei, ſed etiam ad fidem bene affici per *voluntatem* curemus. Si enim voluntas bene afficitur fidei, imperabit intellectui *applicationem* magis ſeriam, *aſſenſum* firmiorem ac frequentiorem, per quæ duo media fit, ut fides in animo *radidices profundas* capiat, atque ita non modò non facilè evellatur, ſed etiam uberes fructus producat, quod ſolent arbores, quarum profundior radix eſt. Verùm hæc *pia affectio voluntatis* quomodò excitatur? Reſpondeo 1. Si expendimus, quàm nihil ſit *ſanæ rationi* diſſonum eo, *quod* credimus. 2. Quàm certa ſit exiſtentia revelationis, *propter quam* credimus. Nempe hæc duo argumenta conficiunt evidenter, quòd noſtra fides ſit *prudens*, quia convincunt nos *per rationem*, ſic, ùt docet fides, res *eſſe poſſe*, & *per revelationem*, ſic *actu eſſe*: fides autem *prudens* non poteſt non virum *prudentem* bene afficere. Itaque cogitate, obſecro, quàm ego planè non fruſtra per hos dies laboraverim, quando primarias Fidei veritates non ſolùm per teſtimonia Scripturæ demonſtravi vobis, ſed etiam rationis ratiocinantis operam diligenter adhibui. Nemo, niſi fallor,

nemo

nemo unus eſt veſtrûm, qui non jam antè credidit, quòd ſit creatus, ut DEO ſerviat in hac vita, & fruatur in altera, quòd peccatum mortale ſit gravis offenſa DEI, quòd mors, ſicut eſt finis temporis, ita ſit initium æternitatis, quòd proin anima ſit immortalis, quódque illam judicium maneat, in quo quàm certus eſt proceſſus, tam incerta ſententia ſit; quòd denique, qui à nobis propter nos eſt crucifixus, veriſſimè ſit DEUS: hæc inquam, omnia nemo unus eſt veſtrûm, qui non jam antè credidit, quàm me audivit. Verùm date gloriam DEO! numquid alia eſt fides veſtra hodierna, quàm nudiustertius fuerat? veſtra tam ſingularis attentio, tam conſtans frequentia, tam fervens devotio convincunt me, quòd *cum voluptate magna* ſenſeritis convinci vos *per rationem*, meritò à vobis credi, quod dudum credidiſtis per fidem. Itaque, quod credidiſtis anteà frigidè obiter, procul dubio id creditis modò libenter ſine triſti neceſſitate, ferventer ſine moleſta pugna, firmiter ſine animi repugnantia. Tanti eſt intelligere per rationis magiſterium, id, *quod* credimus, ſic omnino, ſicut fides docet, ſic *eſſe poſſe*, non eſt poſſibile, ut ad fidem tam rationabilem non bene afficiatur voluntas. Sed creſcet, mirùm creſcet *affectio*, ſi quod cognoviſtis *eſſe poſſe*, cognoveritis ſine periculo erroris, ſic *actu eſſe*. Unde cognoſcetis hoc? *per revelationem* utique, *propter quam* creditis. At quid? eſtne certa revela-

velationis exiſtentia? certa eſt. Unde? olim hanc exiſtentiam *per miracula* DEus demonſtrabat, modò demonſtrat *per teſtimonium*. Quis eſt teſtis? Eccleſia Chriſti eſt teſtis, quam ipſe ſuper Petrum fundavit, atque ideo unum *corpus viſibile* eſſe voluit *ſub viſibili Capite;* niſi fortè dicas, quòd illa verba Domini: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, ſint termini non ſignificativi. Quæ eſt autem illa Eccleſia, de qua Chriſtus hìc loquitur? Romana *aliquando fuit*, quod omnes fatentur, & perpetua traditio demonſtrat: ergo *adhuc eſt*, aliàs *portæ inferi prævaluiſſent*. Igitur ſi Romana Eccleſia dicit aliquid eſſe revelatum, & hunc eſſe *certum ſenſum verbi DEI* aut ſcripti, aut traditi, continuò acquieſcere neceſſe eſt, & ſine ulteriore diſputatione conſentire. Ita, neceſſe eſt, quia, ſicut non fallit DEus, cùm loquitur *per miraculum*, ſic fallere non poteſt, cùm loquitur *per Eccleſiam*. Ipſe enim loquitur per Eccleſiam, vel ſi mavis, idem loquitur, quod Eccleſia; aliàs neque Thomam reprehendiſſet pertinaciter contradicentem unanimi teſtimonio Apoſtolorum, neque voluiſſet, ut, ſi quis Eccleſiam non audierit *in materia fidei*, habeatur *pro Ethnico*: ſi *in materia rerum* reſtiterit, habeatur *pro Publicano*. Matth. 18. Nempe nimis inſana temeritas eſt, ſi quis credit *uni homini* clamanti: *Hæc dicit Dominus!* modò ille per certum miraculum probet, ſe verum DEI Prophetam eſſe, idem nolit credere *toti Eccle-*

ſiæ

ſiæ ſimiliter dicenti: *Hæc dicit Dominus!* etiamſi illa ſe veram eſſe Chriſti Eccleſiam non modò per mille miracula dudum probaverit, ſed adhuc probet ex certis notis nulli alteri Sectæ communibus, cùm ſola ſit *una*, ſola *ſancta*, ſola *Catholica*, ſola *Apoſtolica.* DD. Sodales, potéſtne *prudens ratio* inveniri, quæ ſuadeat mihi, ut *tali teſti* non credam? aut, potéſtne fides, qui *tali teſti* habetur, dici *fides imprudens?* Imò dicamus cum Richardo audacter, *Domine! ſi decepti ſumus, tu decepiſti nos!* non potuimus *prudenter* opponere nos Romanæ Eccleſiæ, ſignis tam certis à te deſignatæ: *quòd tua ſit*, ut nemo repertus ſit unquam, qui in ipſo mortis articulo, *amore ſalutis ſuæ*, ab ipſa defecerit; innumeri verò, qui non ſunt auſi ingredi viam Æternitatis, niſi poſtquam tranſierunt ad nos. DD. Sodales, qui ſenſus eſt veſter, cùm hæc expenditis? non ſe movet *pia affectio* ad veſtram fidem? ô ſolatium dignum Viro! nihil credo, niſi quòd certus ſum, ſic *eſſe poſſe*, & certus ſum, ſic *actu eſſe*, primum *ex ratiocinio*, alterum *ex teſtimonio*, utroque *ita infallibili*, ut diſſentire *prudenter* non poſſim: ô ſolatium dignum Viro! Sic corrigitur *defectus Fidei.* Jam hoc etiam conſideremus, quomodo ſit corrigendus *exceſſus Spei.*

Dixi ſupra, peccari à pleriſque audacter ideo, quòd ſperent, peccari *impunè* poſſe. Spei tam ſceleratæ detexi radices duas; unam, quòd putent aliqui, DEum non attendere, quid agant homi-

Digitized by Google

homines: alteram, quòd nihil dubitent alii, ſe adhuc in tempore redituros in gratiam clementis Domini. Igitur, ſi utriusque opinionis fundamenta ſubruero, tolletur *exceſſus ſpei*. Ago contra homines temerarios, quorum priores *nullam eſſe DEI Providentiam* impiè blaterant, poſteriores *infinitam eſſe DEI Miſericordiam* ſtultè jactant; propterea non erit opus longo diſcurſu, ex utralibet parte ſtes, *una diſtinctione* os obſtruam. Primùm ergo *diſtinguite Providentiam*: alia Politica eſt, quæ ordinat media ad bonum temporale, alia Divina, quæ curat bonum æternum. Hanc DEus ſervavit ſibi, poſtquàm per ſummam gratiam *in ſtatu Elevationis* nos poſuit, & beatitudinis *ſuper naturam* fecit capaces; Politicam autem adminiſtrandam hominibus reliquit, ſic tamen, ut exactam adminiſtrationis rationem expetiturus ſit; & hoc eſt, quod Sap. 6. dicitur: *judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet*, atque ſic palàm eſt, *ex patientia DEI*, quâ impios diu tolerat, non poſſe *contra Providentiam* argumentum formari. Plura qui volet, repetat animô, quæ de animæ immortalitate, & de judicii certitudine herì diſſerui, intelliget liquidè, quàm verè etiam de impiorum ſuppliciis dici poſſit: *quod differtur, non aufertur*... At nempe condonationis, & veniæ fiducia ſaltem *ab infinita Miſericordia* ſupereſt?.. Ah, quàm verè, *qui bene diſtinguit, bene docet!* diſtinguite iterum, & palpabitis fallaciam ſpei. Infinita eſt DEI *Miſe-*

ricordia, quis neget? ſed num ideo infinitæ ſunt etiam *DEI miſerationes?* dicite! cur ſiletis? num infinitæ ſunt *miſerationes?* contradicit Sapiens c. 11. & Divinam Sapientiam laudans, *omnia*, inquit: *omnia in menſura, numero, & pondere diſpoſuiſti!* datur igitur *menſura peccatorum*, qua impletâ dicit DEus: non *convertam illum!* Amos 1. datur *numerus dierum*, qui præteriri non poterit, datur *pondus gratiarum*, quod ponderi ſcelerum prævalebit *ad tempus!* Vide, in quàm dubio ſolo figas anchoram tantæ ſpei! deeſſe poteſt ad pœnitentiam *tempus*, ſi mors inopina te rapiat: deeſſe *occaſio* poteſt, ſi in loco te occupet, ubi aut nullus, aut ad negotium tantum ineptus Sacerdos ſe offert: deeſſe *diſpoſitio* poteſt, & impedimentum vix ſuperabile vel à doloribus corporis, vel à tentationibus dæmonis, vel à vehementi paſſione iræ, odii, triſtitiæ, deſperationis opponi: & tu inter hæc pericula jocaris, ludis, rides? memento, quòd agatur de anima, & de una, immortali, tua anima! Eheu! in ipſa die, quâ infinita Miſericordia infinitæ Juſtitiæ hoſtiam infiniti pretii in ara Crucis immolavit, in ipſa die latronum unus ſolus obtinuit veniam, *unus*, ne quis deſperet, ſed *ſolus*, ne quis præſumat! alter ab ipſo Chriſti latere abſtractus in orcum ruit! I nunc, & ſpera *ſine metu!* ... Ego puto, *exceſſum ſpei* hac admonitione jam eſſe temperatum ſatìs: igitur vertamur ad remedium excogitandum, quod opponamus malo tertio, quod eſt *languor:amo*

Omit-

Omitto amoris motiva congerere, obvia ſunt, & quàm ſit amabilis DEus, cœlum, terra, ipſe adeo infernus clamant, quando infernus potentiam DEI, terra bonitatem, cœlum divitias prædicat, argumenta inviĉtiſſima, quàm ſit *amari dignus*, qui talis eſt Dominus. Cùm igitur hæ conſiderationes ſint faciles, ego in explicatione non moror, ſed alia amori exſuſcitando duo media ſuadeo, quæ ipſa tamen conſiderationum illarum uſum, & praxin continent. Primum medium eſt *Examen*, alterum *Exercitatio*.. Examen pudorem excitat, quando, quàm longè à ſolido amore abſimus, intelligimus. Aſcetæ triplicem amorem diſtinguunt, appretiativum, affeĉtivum, & effeĉtivum, qualis Jonathæ fuit erga Davidem. Amabat Jonathas: modum advertite. Amabat 1. *appretiativè*; nam origo amoris non erat *Spes*, quid poterat filius Regis à paſtore ſperare? non erat *gratitudo*, nihil à Davide boni acceperat: ſed nempe animadverterat Jonathas in Davide ſingularem morum compoſitionem, magnam animi contra Goliathum ſe armantis fortitudinem, in converſatione amabilem innocentiam, pro Deo, & lege DEI heroicum zelum; ex hac animadverſione nata eſt *appretiatio*, & ex appretiatione amor. Amabat 2. *affeĉtivè*, & cum tanta teneritudine, ut dicat Scriptura, 1. Reg. 18. *conglutinatam eſſe animam Jonathæ animæ David*: Davidis gloria, laus, felicitas ita erat jucunda Jonathæ, velut ſi ſua eſſet. Amabat 3. *effeĉtivè*;

nam quidquid David acceptum eſſe poſſe credidit, fecit, ſuas cum illo veſtes mutavit, publicè toli aulæ hominem commendavit, contra ipſius Regis Patris iram fortiter defendit. Hem! inſigne exemplum veri amoris in hominem: colligite, qualem eſſe oporteat amorem hominis erga DEum. Congruit deſcriptioni, quam faciunt Aſcetæ, *definitio*, quâ Theologi de amore utuntur, ajunt: *Charitas DEI eſt amor amicitiæ, quô DEO benevolumus, & omnia bona ipſi cupimus, ob ſummam, & infinitam ejus naturæ perfectionem.* Exprimitur hic 1. amoris *cauſa & motivum*, quod eſt appretiatio ob ſummam, & infinitam ejus naturæ perfectionem. 2. Amoris effectus duplex, alter *in affectu*, nempe *gaudium* de bonis, quæ DEus habet, *amor, quô DEO benevolumus*: alter *in effectu*, nempe *cupido efficax* bonorum, quæ DEus nondum habet, hoc eſt, honoris, laudis, obedientiæ, quæ ipſi à ſuis creaturis debetur, *amor, quô omnia bona DEO cupimus.* Atque hic amor *effectivus* habet *gradus* ſuos: ſi impellit, ut ſerves mandata, *magnus* eſt amor: *ille eſt, qui diligit me*, Joan. 14. ſi urget, ut ſequaris conſilia, *major* eſt: *ſi vis perfectus eſſe, vende omnia, ſequere me!* Matth. 19. ſi inſuper efficit, ut tua unius ſalute non contentus, etiam ſtudeas procurandæ alienæ, & opes, curas, vires, vitam commodis animarum impendas, enimverò *majorem hac dilectionem nemo habet.* Joan. 15. Nunc inſtituite *Examen*

Digitized by Google

men quisque, & quem teneatis amoris *gradum*, ſeriò expendite. Quantum *appretiatis* DEum? quando *gaudetis* de bonis DEI? quid pro DEO *laboràſtis!* heu! ſi nec manus, nec linguam, nec cor adhuc ſeriò conſecrâſtis amori, atque ita præceptum *primum*, *maximum* non obſervâſti! quid? *Examen tale* non ſtimulabit, ut amoris languori medicinam quæratis?... Imò, quia primus gradus ſanitatis eſt, *fateri*, ſe eſſe ægrum, ſecundus, *ſanari velle*, tertius, *adhibere remedium*, nihil dubito, quin per hoc *Examen*, & qui ſitis, agnoſcatis, & jam alii eſſe velitis; itaque meum eſt, bonam voluntatem juvare conſiliô, ut *Examinis* fructus perfectus ſit. Quid igitur ſuadeo, ut addatis Examini de amore? amoris *Exercitium* ſuadeo frequens, & fervens: ſic ajo, *languorem* ſanatum iri. Quale ſit amoris exercitium, ſuprà inſinuavi: manu, linguâ, corde peragitur. Sed ne quis Exercitii *occaſionem* ſibi deeſſe putet, unâ ſententiâ totius conſilii ſummam complector: *Quidquid agitis, agite ex amore.* Dixi herî, ordinem diurnum cujuslibet boni hominis in tria tempora dividi, quorum aliud DEO, aliud corpori, aliud negotiis officii impendi debeat, jam dico: *tempus* [1], *quod datis DEO*, date *ex DEI amore*, non ex conſuetudine, non ad ſpeciem, non ex metu, *ex amore* date! ſic orabitis reverenter, ſic Miſſæ aſſiſtetis ferventer, ſic frequenter ſuſcipietis Sacramenta, ſic in publicis noſtræ Religionis exercitiis comparebitis cum modeſta gravitate, ſic ad

verbum DEI audiendum avidè accurretis, & cum deſiderio ſpiritualis profectûs. Nempe, qui amat, cupit placere amato, & habet *intus*, quod urget. *Tempus, quod datis corpori*, date *ex DEI amore*, ſive ut per media *à DEO* ordinata vires *pro DEO* ſervetis. Sic nunquam dabitis *nimium tempus* ſomno, nunquam nimis multum converſationibus, diverticulis, ludis, nunquam nimis protractum ſumptuoſis conviviis, *nullum omnino* recreationibus, aut deliciis vel inhoneſtis, vel etiam periculoſis. Nempe, qui amat, ſollicitè cavet, ne amato diſpliceat. Denique *tempus, quod datis negotiis*, date *ex DEI amore*, ſive ita, ut in officio, in quo DEus vos poſuit, *DEO ſoli* ſerviatis, aut *homini propter DEum*, nunquam *contra DEum*. Sic labores veſtros nullum *tædium* impediet, nulla *lucri injuſti cupido* corrumpet, nulla *vanæ gloriolæ ambitio* perdet, nullus *metus* à legum cura divellet. Laborabitis ſtrenuè, quia, qui amat, ne quidem laborat: amor laborem non ſentit. Ita, DD. Sodales, *Ita quidquid agitis, agite ex amore*, & quod ex amore agere non poteſtis, omnino non agite! hoc *Exercitium* languorem amoris corrigit. Applicate cor, linguam, manum! verè amare eſt amorem exercere.

CONCLUSIO.

Finio, ne memoriam obruam. Ite, & quæ audiſtis, domi recolite. *Fides, Spes, Charitas, tria hæc* trinum perfectum faciunt. Animate Fidem, *ne deficiat*: juvat pia affectio, quam uſus

ſus ratiocinii, & auctoritas Eccleſiæ excitant. *Spem* continete, *ne excedat* : juvat inter Providentiam Politicam, ac Divinam diſtinguere, & à Miſericordia miſerationes dividere : *Major autem horum eſt Charitas*, Charitatem accendite, *ne langueat* : alimenta igni Examen, & Exercitium dabunt. O utilis repetitio! *per amorem DEI* vos obſecro, ſic, donec poſt meridiem redeatis, repetite! aut ſi nimiùm peto, ſaltem intereà generale de amore Examen facite: *quomodò huc uſque amavi DEum corde, ore, opere?* hæc materia eſt primæ tabulæ in Decalogo. Pudorem ſalutarem examen feret. L. J. C.

EXERCITIA DIEI TERTIÆ.

ANTE MERIDIEM.

LAUDETUR JESUS CHRISTUS!
℞. IN ÆTERNUM.

Q*Uidquid agitis, agite ex amore*, conſilium fuit, quô Exercitia matutina hodie concluſimus, & ego per amorem DEI rogavi, ut inſtitueretis *Examen generale* de amore, inſpiceretísque vos, quomodò hactenus amaveritis DEum corde, ore, opere. Examinâſtis? ſi feciſtis, fructus eſt ſalubris pudor, & ardens propoſitum (quid enim poſſet aliud ſtatuere animus honeſtus, ſic à ſeipſo confuſus) ardens propoſitum poſthac amandi DEum *perfectiùs*,

amandi *teneriùs*, amandi *fortiùs*. Placet, placet ſancta reſolutio: ut *efficax* ſit, quales raró ſunt, quæ nimis genericæ ſunt, ab examine generali *ad examen particulare* vos transfero. Amet me DEus, ut uſum perſuadeam. Sedeamus...

EXERCITIUM. I.

DISSERTATIO

De Examine particulari.

QUid prodeſt multîs hortari milites: in hoſtem, in hoſtem ite! immane malum eſt, quô nos affecit, & niſi prohibemus, graviora minatur ferox: prohibete! ite! ... audiunt clamorem, caleſcunt animis, ſtringunt ferrum: jam undique micant gladii minaci fulgure; ſed nemo pedem movet ex ſtatione. Ite! quousque moram ignavi trahitis? in hoſtem ite!... fruſtra! ruemus, inquiunt, ſi dicas modò, quâ ſit eundum, quo duce, in quem hoſtem?... Ecce! tales ſunt motus pii, quibûs ſubinde pectus ſentimus urgeri adversùs vitia. Video, cogitârit hoc triduô non unus veſtrûm, video me ſic vixiſſe hactenus, ut planè, niſi pœnitens, mori nollem. Nec porro differam: agam pœnitentiam, & ab hac die vitam novam incipiam, qualem *timor* exigit, & *amor DEI*... Sancta reſolutio! ſed niſi deſcenderitis ad *particulare* propoſitum, mihi credite, diuturnus fructus non erit:

erit, vix eritis Sancti *Menſtrui.* Sicut in omni arte, ſic in arte Sanctitatis certa methodus, & bona praxis facit, ut *levior labor*, & *profectus ſit major.* Atque inter has praxes S. Ignatius noſter *Examen particulare* primô ferè locô poſuit. Sapienter ſanè; nam duo magna commoda in hac praxi notavit, *primum*, quòd ſit medium *facillimum* pro omni genere hominum: *alterum* quòd ſit medium *efficaciſſimum* contra omne genus vitiorum. Habetis præſentis diſſertationis Synopſin. Attendite.

PARS I.

Uſus Examinis particularis eſt medium facile pro omni genere hominum.

QUos ego alloquor, tria ſunt genera hominum, DD. Sæculares, DD. Clerici, DD. Studioſi: dico, uſum Examinis particularis eſſe ſingulis *facilem.* Fatebimini, verum dici, ſi modò, in quo conſiſtat, intellexeritis. Igitur ſic habete. Tria hoc Examen complectitur, *certi vitii* deſignationem, propoſitum *manè*, & reflexionem *ſub veſperum.* Singula quàm facilia ſingulis ſint, nunc percipite.

A deſignatione certi vitii initium facio. Septem *Vitia capitalia* numerantur, quæ omnium noſtrorum lapſuum radices ſunt. Hæc vitia non tam peccata ſunt, quàm *vitioſæ inclinationes* ad peccandum, quibus caret nemo, qui peccatô originali infectus fuit; alius tamen

men vehementiores, ac plures, alius mitiores, & pauciores advertit, prout diverſa eſt indoles, temperamentum, educatio, conſuetudo, occaſiones. Atque hæ ſeptem inclinationes *materia* ſunt Examinis, de quo loquor, particularis, per quod non omnes ſimul, ſed ſingulas oppugnare aggredimur, quod ut fiat ſapienter, deſignanda ad pugnam ante alias eſt illa inclinatio, *quæ magis eſt noxia.* Sed nempe ſcire, quæ illa ſit, hoc opus, hic labor eſt! *labor facilis*, quia, ſi tu ignoras, alii tibi dicent, qui tecum vivunt. *Studioſus es*: age, *quem dicunt homines* eſſe te? *Domeſtici* dicunt, quòd nihil agas ſeriò, niſi ludicra, & hic ferè ſit ordo diurnus tuus, dormire in multam lucem, deinde edere, bibere, ludere, ac iterum dormire. *Superiores* tui dicunt, quòd neque res Divinas admodùm anxiè cures, neque profectum in litteris parem capacitati, & congruum vocationi ſollicitè ambias, turpis ignaviæ vile mancipium. *Æquales* tui dicunt, quòd, poſtquàm humaniora ſtudia abſolviſti, etiam humanitatem dedidiceris, homo illoti oris, immobilis pilei, faſtuoſi inceſsûs, & qui velut pullus onagri ſe liberum natum putet. Ecce hæc eſt materia Examinis tui: hæc corrige! ... *Clericus es*: quem dicunt homines eſſe te? *Laici* dicunt, eſſe te Virum doctum, ſed exempli non boni: videri in illis locis frequentem, in quibus fæx hominum ſuos conventus habet: converſari cum illis perſonis familiariter, quæ ſuſpicio-

ſpicionem mali planè non temerariam & pariant, & alant. *Subditi* dicunt, curam tibi majorem eſſe pecuniæ, quàm animarum, menſæ, quàm templi, commodorum, & dulcis otii, quàm Concionum, & ſacri Tribunalis. *Collegæ* dicunt, operam, quam Divinis officiis adhibes, nimis negligentem eſſe, in procurandis ægris nimis lentè, in recitandis horis nimis præcipitanter te agere, & ludibundi inſtar dicere DEO: DEus in adjutorium meum intende, Domine *ad feſtinandum* me adjuva! in ipſo adeo Divino Sacrificio tremendum Myſterium ſic luridè perficere, ut dici tibi ſæpè deberet, quod ejusmodi alteri magnus Avila poſt Conſecrationem in aurem dixit: Vir bone, reverentiùs tracta, quem manibûs tenes: *Eſt enim Filius magni Regis.* Ecce in his verſatur Examen tuum: hæc corrige!... *Laicus es*, quem dicunt homines eſſe te? quid dicit *uxor* de marito? dicit: Virum optimum fore, ſi modò potui nimio, luſuique non adeò te addixiſſes: hoc corrige. Quid dicunt *liberi* de parente? dicunt, aliarum rerum omnium majorem, quàm filiorum à te curam haberi: luxu perdi patrimonia ſua, & ad incitas familiam redigi: hoc corrige. Quid dicunt *famuli* de hero? dicunt, quòd, quàm rigidus es in exigendo obſequio, tam avarus, & parcus ſis in præbendo victu, & mercede reddenda: hoc corrige. Quid dicunt *Cives*, *ruſtici*, *pupilli*, *viduæ?* dicunt, quòd doctus Advocatus, peritus Medicus, ſapiens Con-

Conſiliarius, æqui boníque intelligens Judex ſis, ſed nimis appetens lucri, & aurigæ ſimilis, cujus currus lentè, ac difficulter procedit, niſi ungatur: hoc corrige. Ita ex eo, *quod dicunt homines* de te, cognoſces, quid præcipuè agendum, quid vitandum ſit tibi. Si verò, quod ſæpè fit, hoc ipſum neſcias, quid de te homines dicant, quære ex te: *Quid dicis de te ipſo?* & de quo peccato, ſive grave illud ſit, ſive leve, de quo te ſæpius accuſas in ſacro Tribunali? illud corrige, & ut feliciter corrigas, *radicem* indaga, ex qua errores pullulant. Intelliges, eundem defectum e. g. impatientiam, blasphemias, contumelias &c. &c. non eandem ſemper habere originem, ſed jam ex gula, jam ex invidia, jam ex ſuperbia &c. id eſt, ex uno inter ſeptem vitia capitalia naſci. Radici illi admove aſciam Examinis particularis, & 1. quotidie manè poſt conſuetas preces *propoſitum* repete, quô coràm Imagine Crucifixi feriò te obarmes contra pericula, quæ *veroſimiliter* ea die in lapſum poſſent impellere. 2. Sub veſperum obiter ſaltem intuere te, & quàm fideliter obſervaveris matutinum propoſitum, obſerva. Sic facis omnia, quæ Examinis particularis praxin conſtituunt, & quid eſt *in his omnibus* difficile pro ullo genere hominum? *deſignatio vitii?* at quis neſcit, quid de ſe homines dicant, aut ſaltem quid ipſe dicat de ſe, dum ſe in Confeſſione accuſat? *Propoſitum matutinum?* verùm quomodò videri poteſt moleſta

ſta actio, ad quam nec longo tempore, nec multô ingeniô opus habemus? *veſpertina reflexio?* atqui nec iſta etiam ardui moliminis eſt. Itaque ſi æquè utilis, ac facilis eſt hujus Examinis uſus, non video, quomodò in ſuadendo eſſe infelix poſſim. Ergo poſtquàm audiſtis, quàm ſit hæc praxis facilis *pro omni genere hominum*, nunc, quàm ſit efficax *contra omne genus vitiorum*, percipite.

PARS II.

Uſus examinis particularis eſt medium efficax contra omne genus vitiorum.

EX materia, & modo Examinis, *efficaciam* probo. Materia, ùt dixi, eſt vitium *unicum*. Quis neſcit, obſecro, quantum homo poſſit, qui ad *unum* finem omnes vires impendit? *Pluribus* intentus minor eſt ad ſingula ſenſus, ſine dubio: ſed, niſi aliud obſtet, quod amoliri in tua poteſtate non ſit, ſi totam ætatem *uni* Muſicæ impenderis, eris excellens Muſicus, ſi *uni* Juriſprudentiæ, eris Bartolo par, ſi *uni* Arti bellicæ, Cæſar eris: & profectò, qui hoſtes à ſe diviſos exercitu *non diviſo* proſequitur, ſingulos facili negotiô delet, & qui tormenta omnia in murum *unum* dirigit, diſſolvit celeriter, viámque ſibi in urbem aperit. Idem igitur contingere in bello ſpirituali credamus. *Unum* ſi vitium eſt, de quo debellando *memoria* cogitat, *unum*, cujus malitiam, & pernicioſos effectus legendo, audiendo, conſiderando *Intelle-*

tellectus examinat, *unum*, in quo oppugnando *voluntas* quotidie manè, ac veſperi ferventer, ſerióque deſudat, fieri non poteſt, ut diu caput efferat, aut faceſſat moleſtiam. At enim dum *uni* vitio devincendo nos totos impendimus, reliqua invaleſcent, animum evitandæ Scyllæ intentum in Charybdim abripient. Nequaquam, DD. Sodales, nequaquam hoc metuendum eſt malum: ſed *vigilantia*, quâ contra unum inſurgitis, omnibus injiciet frænum, ne ſe temerè moveant; nempe quia, cùm cæditur Goliath, totus exercitus fugit, cùm fundamentum ſubruitur, tota concidit Babylon, cùm ſuffoditur radix, tota arbor exareſcit, & *unum* ſufficit capiſtrum, ut ferocientem equum *à multis* præcipitiis abſtrahas. Atque ſic, opinor, intelligitis, quanta ſit Examinis particularis efficacia, eoquòd illius *materia* ſit vitium *unicum*. Jam, quantum illa creſcat *ex modo*, oſtendo.

Explico *modum*, & conditiones hujus Exercitii per tria adverbia, & volo, ut fiat ſapienter, fortiter, conſtanter. Illa cogitatio: *Non licebit tibi hoc, & iſtud ultra in æternum*, ſicut terruit Auguſtinum, diúque ab executione generoſæ voluntatis retraxit, ſic multos hodie retrahit. Etiamſi convertam me, inquiunt, non erit diuturna mutatio: novi me! naturâ *melancholicus* ſum, & hominum fugitans: ſi hodie facio mihi vim, turbíſque me infero, ſicut ratio officii poſtulat: cras rurſum vincet

me

me tædium, & curam animarum, curam pauperum, curam officii mille aliæ curæ, timores, ſuſpiciones, ſcrupuli auferent. *Phlegmaticus* ſum: ſi hodie facio mihi vim, & diem integram ſtudiis, ac laboribus impendo, cras rurſum me vincet ſegnities, & amor otii bonum ordinem diurnum ſubvertet. *Cholericus* ſum: ſi hodie facio mihi vim, & generoſô ſilentiô factam injuriam tolero, cras rurſum me vincet ira, & cordi, linguæ, manibúsque amarum bilem affundet, ut in vindictam efferveant. *Sanguineus* ſum: ſi hodie facio mihi vim, & prohibitos amores toto animô damno, cras rurſum me vincet violenta cupiditas, & in antiquam ſylvam rapiet. Tantum *natura* prævalet bonæ voluntati, præcipuè ſi mala conſuetudo, quæ eſt altera natura, acceſſerit, nempe nullum violentum diuturnum eſt: quid ſperem¿ ... Hem! iſta mala fraus mali diaboli facit, ut plurimi nolint diem ſaltem unam bene vivere, quia negant, ſe poſſe diu, & *per totam vitam reliquam*, hoc eſt, per 20. 30. 40. quos ſperant, annos, ſimiliter vivere. O ſimplices! ô ſtolidos homines! at nos aſtutè aſtuto dæmoni reſpondeamus, neque quidquam *de quamdiu*, ſed hoc ſolùm cogitemus: *Hodie ſic vivam! quid futurum ſit cras, DEus novit.* Ecce hoc eſt, *ſapienter* adhibere examen contra vitium, ad quod *natura*, aut *cònſuetudo* magis inclinant. Et quis eſt, qui non ſaltem per *diem unam* hanc ſibi facere vim audeat, ut vivat bene per *diem*

unam

unam? certè *hac arte* S. Bernardus hominem libidini contra naturam atrociter aſſuetum feliciter in perpetuum cultorem caſtitatis convertit. Vince te, ajebat ille prudens animæ Medicus, vince te, & promitte mihi, in honorem SS. Trinitatis ſaltem *per triduum* viriliter repugnaturum eſſe tentationi, & caſtè victurum. Promiſit, repugnavit, triduô totô caſtè vixit. Victorem ad ſe reducem excepit cum gaudio Divus, & quid ſi, dixit, aliud triduum caſtiſſimæ Virginis honoribus conſecrares? admiſit conditionem jam animoſior Chriſti miles, totámque hebdomadem ſine crimine vixit. Adjecit Bernardus novum triduum in Angelorum honorem, rursúmque aliud, aliúdque, donec anima pœnitens tot, ut ita loquar, *capitulationes* pertæſa, jam ſatis eſt, exclamavit: experior, me poſſe plus, quàm credebam! omitte reſtrictiones: poſthac caſtitatem *perpetuò* colam. Nempe, qui vincendi ſui ſaltem *initium* facit, jam convincitur, quòd ſe vincere, ſi velit, poſſit. Sic creſcit animus, & in victorias novas prurit, quas referet etiam, ſi, quod *ſapienter* cœpit *fortiter* proſequatur. *Fortiter* dico illum Examen proſequi, qui non ſolùm id agit, ut vitium, ad quod inclinatur, aboleat, ſed ut virtutis *contrariæ* cultui ſe aſſuefaciat. Dæmon, ita S. Ignatius noſter docet, dæmon naturam audacis mulieris habet, quæ ſi nacta eſt virum timidum, inſultat ferociter, & vel à nolente, quod vult, extorquet. Verùm ſi inſurgenti maritus adductô

ſuper-

ſuperciliô dicat: *Crede, aut!* ... obtinebit haud dubiè, quam optat, uxoris modeſtiam. Idem nobis continget in pugna contra technas diaboli. Quoties *advertimus*, quòd ſe moveat vitium, cui nos natura, aut conſuetudo ſubjecit, credamus nos *admoneri*, ut agamus *contrarium*; atque ita, ſi ſubit *acedia*, & tædium orandi excitat, *propter hoc ipſum* oremus prolixiùs: ſi urget *ſuperbia*, ut jactes res tuas, & in tua tibi laude vanè complaceas, *propter hoc ipſum* ſile de te, & de aliis honorificè loquere: ſi *libido* ſtimulat, ut ad conſueta diverticula abeas, *propter hoc ipſum* accede ad alias perſonas, & converſare cum illis, qui tibi plùs proſunt, quàm placent. Si *gula* urget, ſi *ira* accendit, ſi *cupido luſûs noxii* ſubit animum, *propter hoc ipſum* à potu abſtine ad horam ſaltem, reſorbe verba, quæ ira ſuggerit, & impera ſilentium linguæ, age ſeria, & differ luſum. Superi! quis explicare fructum hujus Exercitii poterit, maximè, ſi quàm *fortiter*, tam *conſtanter* agamus. Omne initium grave eſt, & fortaſſe fructus per aliquod tempus non magnus videbitur: imò (quod malum optimus DEus avertat!) fortaſſe non nulli relapſus fient, ſed non oportet propterea terreri vos, & à vitii perſecutione deſiſtere... Durate! reſurgite à lapſu celeriter, & cum ira magnanima contra vos ipſos concepta, reſumite arma, renovate bellum, nec ceſſate perſequi hoſtem, donec internecione deletus ſit. Hôc *modô*, ſcilicet ſapienter, forti-

ter, & conſtanter qui pugnat, contra quodcunque vitii genus pugnet, non diu pugnabit: gratia DEI non poteſt ſe ſubtrahere tam ſerio conatui: certa victoria eſt, & debellabimus citò. Quòdſi poſt hæc omnia adhuc eſt, qui dubitat, an ſive ita *facilis*, ſive adeo *utilis* ſit uſus Examinis particularis, ùt modò aſſerui: provoco *ad experientiam.* Eja! ſub Crucis vexillo contra ſeptemplicem hydram procedamus in aciem! unum quilibet ſibi deſignet caput, quod præcidat! Nobiles oppugnent ſuperbiam, Officiales invidiam, Magiſtratus, & Judices avaritiam, Juvenes luxuriam, viri gulam, iram milites, Sacerdotes acediam, quisque *inclinationem* perverſam illam, quæ huc usque animo ferociùs imperavit. Et quid fiet: Experientia, experientia vel unici menſis docebit ad ſolatium, verum eſſe, quod dixi: Examen particulare Exercitium eſſe *facile* pro omni genere hominum, *efficax* contra omne genus vitiorum.

Sed nempe hanc ipſam *Experientiam*, ad quam provoco, nemo *tepidus* admittet, languor animi, quem in negotio ſalutis alimus, omne bonum conſilium perdit; & ego bene video, totius Sacri Tridui noſtri exiguum fructum fore, niſi unde ſe nutriat conceptus *fervor*, alimenta ſuppeditem. Igitur hic ultimus labor ſupereſt, ut ſtudium *fervoris* excitem, & odium tepiditatis. Quid intelligo per fervorem? intelligo, quod intelligitis vos, quando dicitis: iſte

ferven-

ferventer ludit, ferventer diſputat, ferventer ſuam cauſam defendit, eſt fervens Candidatus talis officii, vel ſtatûs! intelligo, quod Aſcetæ intelligunt, quando dicunt: DEus magìs amat *adverbia*, quàm *verba*, quia nempe orare, laborare, jejunare, tolerare, ſi *nuda verba* ſunt, non habent magnum pretium in cœlo, ſed orare *ferventer*, laborare *ſtudioſe*, jejunare *hilariter*, tolerare *fortiter*, hæc ſunt, quæ cor DEI afficiunt. Intelligo denique non ipſas bonas *reſolutiones*, neque etiam reſolutionum ſive *Executionem*, ſive *Proſecutionem*, ſed exequendi, & proſequendi *modum*, qui non modò *ſeriam*, ſed etiam prudenter *intenſam* habeat applicationem *totius animæ*, id eſt, memoriæ, intellectûs, ac voluntatis, & *totius corporis*, id eſt, oculorum, aurium, linguæ, manuum, & pedum, prout exigit res. Exemplum hujus *fervoris* in Exercitio fidei, ſpei, & charitatis dabo. Surgamus.

EXERCITIUM II.

Oratio Vocalis.

SYmbolum, Oratio Dominica, & Decalogus erunt hujus Exercitationis *materia* ſtudioſè à me ſelecta, ut deinceps preces, quas quotidie dicimus, dicamus *cum fervore*, cum fervore! iisdémque ex hac norma, quando poſtulabit occaſio, ad oratiunculas, quas vocamus, *jaculatorias* cum fructu utamur. Itaque jam flectite genua! levate manus! ſubmittite oculos! intendite aures! pro lingua loquatur cor! ...

Ecce hic primus eſt *fervoris* effectus, ſingularis applicatio virium *corporis*. Jam applicate vires *animæ*. Comprehendite *memoriâ* Exercitationis materiam! *intellectu* ponderate! *voluntate* ad uſum ordinate!. incipio à Symbolo Apoſtolico.

I.

Exercitium Fidei ex Symbolo Apoſtolico.

UTi tres Perſonæ Divinæ ſunt, ita tres partes habet Symbolum. Applicate memoriam, prima de Patre, altera de Filio, tertia de Spiritu ſancto docet, quid ſit credendum... *De Patre* primus articulus loquitur, *ponderate*, quid dicat: Credo *in DEum!* credo *in Patrem!* credo *in Omnipotentem!* credo *in Creatorem Cœli, & terræ!*.. hoc dicit: & quantum hoc eſt!.. Exurge anima mea, & profitere! *Credo in DEum!* & anathematizo Atheos, qui nullum, anathematizo Polytheos, qui plures adorant DEOS! ego credo *in DEum*, & *in unum* credo, cor *unum uni* conſecro!.. *Credo in Patrem*, & anathematizo Sabellianos, qui in Divina natura tria nomina admiſerunt, tres Perſonas negârunt! Tres, tres ſunt in cœlo, & hi tres unum ſunt!.. Gloria Patri! Gloria Filio! Gloria Spiritui Sancto!.. *Credo in Omnipotentem Creatorem cœli, & terræ*, & omnium, quæ in illis ſunt! anathematizo Manichæos, qui duo poſuerunt rerum principia, bonum, & malum! unus Creator eſt, à cujus manu ſi bona ſuſcipimus, mala quare non ſuſcipiamus? Dominus eſt: quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat... Al-

Altera pars Symboli *de Filio* docet, quòd Redemptor fuerit, Advocatus ſit, Judex futurus ſit. *Credo in JEſum Chriſtum Filium DEI unicum! Dominum noſtrum!* fuit ille meus *Redemptor*, cùm de Spiritu Sancto conceptus, de Maria Virgine natus, ſub Pontio Pilato paſſus, crucifixus, mortuus, & ſepultus eſt! Ipſi gratias ago!.. Eſt *Advocatus* meus, quando poſt deſcenſum ad inferos, & reſurrectionem à mortuis aſcendit ad cœlos, & jam ſedet ad dextram Patris! in ipſo ſpero!.. Erit meus *Judex*, cùm redibit in vallem Joſaphat, & acta noſtra diſcutiet, ut ferat ſententiam congruam meritis! Ipſum timeo!.. Anathema Judæis, qui Redemptorem adhuc venturum expectant, anathema Arianis, qui Chriſtum eſſe *verum DEum*, anathema Marcionitis, & Gnoſticis, qui *verum eſſe hominem* negaverunt! anathema Neſtorio, & Dioſcoro, quorum ille duas in Chriſto eſſe *Perſonas* aſſeruit, hic ne quidem *duas naturas* admiſit, ego in *duabus* naturis *unam* Perſonam adoro, quæ cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat! ô vivat, & regnet, ſicut in cœlo, ſic in univerſo orbe terrarum, ut ſalvetur per ipſam omnis caro!.

Pars 3tia Symboli *Spiritûs* S. Perſonam, & ejus beneficia præterita, præſentia, & futura, totúmque *ſtatum noſtræ Elevationis* ad gratiam, & gloriam exhibet. *Credo in Spiritum Sanctum!* per illum gratiæ ſanctificantis admirabile donum in baptiſmo accepi, & *in ſanctam Eccleſiam Catholicam* admiſſus ſum: *quanta beneficia!* Igitur

damnatus ſit error Græcorum, Spiritûs S. proceſſionem à Patre, & Filio, & quod ſequitur, ipſam Divinitatem negantium! damnata ſit libertas Politicorum, Eccleſiam ſibi, non quam Chriſtus fundavit, ſed quam *Ratio ſtatûs* ſuadet, ſine cura inquirendæ veritatis èligentium! Mihi unus eſt DEus, unum baptiſma, una fides, una Eccleſia, cujus Spiritus S. eſt Sponſus. In illa ego fruor *Communione Sanctorum*, hoc eſt, communibûs meritîs, communibûs Sacramentis, communibûs precibus, quibûs inter ſe mutuò colligantur, & veluti unum corpus efficiunt Eccleſia Triumphans, Purgans, & Militans: fruor *remiſſione peccatorum*, quam quoad reatum culpæ, & pœnæ ex meritis Chriſti per gratiam Spiritûs ſancti, ſi verè, & tempeſtivè volo, obtineo: *quanta beneficia!* Igitur malè ſit Novatianis, qui poſt baptiſmum peccantibus ſpem veniæ ſupereſſe negârunt! malè ſit Calvino, & Luthero, qui & Sacramentorum numerum minuerunt, & interceſſiones Sanctorum, ſuffragia pro defunctis, ipſa inter vivos bonorum operum exercitia impiè deriſerunt, Vigilantium, Eunomianos, Iconoclaſtas, Waldenſes, & Huſſitas ſecuti, omnes damnatæ pridem memoriæ homines! malè ſit Pelagianis, qui in alterum extremum prolapſi, ſolis naturæ viribûs ſine Chriſti, & Spiritûs S. gratia ſalutem obtineri poſſe docebant! Ego contrarium publica declaratione profiteor, atque huic profeſſioni inſiſtens inſuper credo *carnis reſurrectionem*,

nem, credo *vitam æternam*, Superi! *quanta beneficia!* ite in malam crucem Sadducæi, qui corporum reſurrectionem rejeciſtis! *Ego in carne mea videbo DEum meum!* Job. 19. In malam crucem Millenarii, qui tantùm mille annos poſt reſurrectionem deſignâſtis pro regno Chriſti! Ego Evangelio credo: *Regni ejus non erit finis!* Luc. 1. non erit finis! ſic credo, quia, qui credere juſſit, verax eſt, & falli non poteſt.

II.

Exercitium Spei ex Oratione Dominica.

HAbetis methodum ferventer exercendi Fidem in recitando Symbolo: Exercitium ferventis Spei in dicenda Oratione Dominica breviùs dabo. Dicite:

Pater noſter, *qui es in cœlis*, audi pia vota, quæ *ſperamus* auditum iri, quia Pater es noſter, qui quod promiſit, dare *vult*, & Pater *in cœlis*, qui quod dare vult, dare *poteſt!* .. Pater, *ſanctificetur nomen tuum*, hoc primum eſt votum noſtrum, quia ultimus finis eſt, propter quem creati ſumus! .. Pater, *adveniat regnum tuum!* ne pereat ex nobis quisquam à cœlo exul. Hic alter eſt finis, propter quem nunc vivimus, nempe ut olim in regno tuo per te, in te beati ſimus. Da, ut ſimus, & ſimus omnes! .. Pater, *fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra!* medium ad finem primum petimus, quod juvet *animam*, nempe gratiam, gratiam, quæ nos excitet, & juvet ad obedientiam, quâ ſola viâ homines adulti in cœ-

lum eunt! ... Pater, *panem noſtrum quotidianum da nobis hodie!* medium ad finem alterum petimus, quô corpus juvetur, ne per curas ventris impediatur anima à cura mentis: panem petimus, non delicias: da alimenta, & quibûs tegamur, contenti ſumus! ... Atque hæc prior pars eſt Orationis Dominicæ, in qua petimus bona: ſequitur poſterior, in qua mala deprecamur.

Pater, *dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris!* peccavimus! dolemus! dimitte peccata *præterita* Pater, & *ne nos inducas in tentationem*, per quam incidamus *in nova!* demum ô Pater, nunquam deſere, *ſed libera nos à malo* quovis, ſive corporis, ſive animæ ſit, ſi verè malum eſt, ſeu tale, quod malos nos faceret! præcipuè libera nos à malo, quod terribilium omnium terribiliſſimum eſt, *à mala morte!* ... Atque hoc eſt Exercitium Spei.

III.

Exercitium Charitatis ex Decalogo.

SUpereſt, ut adhuc addam breve Paradigma de Exercitio Charitatis ex Decalogo. Primum, & maximum mandatum eſt: *Diliges!* hujus dilectionis tres *gradus* ſunt, nihil diligere *contra DEum*, nihil *præter DEum*, DEum *ſine modo*. Plerique jam in primo gradu ſubſiſtunt, & utinam ſaltem huc omnes pertingerent, nam ad ſalutem ſufficit! ... ſed qui *ferventer* diligit, procedit in ſecundum, & in tertio ſemper altiùs, altiúsque ſe tollit. Advertite methodum,

&

Digitized by Google

& utramque tabulam Moyſis oculis mentis objicite.

Amor *in infimo gradu* ſubſiſtens *ad primam tabulam* dicit: Domine DEus, tu ſolus es DEus, ſolus Dominus, ſolus Altiſſimus, dignus omni æſtimatione, amore, & obedientia: propterea amo te, & amore tui ſervabo præcepta primæ tabulæ, & amabo te *corde*, appretiando te *ſuper omnia*, ita ut malim rerum omnium, vitæque ipſius potiùs, quàm tuæ amicitiæ jacturam facere: tu mihi es Dominus DEus meus! non habebo alienos coràm te, nec ſculptile mihi faciam, ut adorem illud: procul ſint à me ſacrilegia, ſimoniæ, & quævis ſuperſtitio!.. amabo te *ore*, nec accipiam in vanum nomen Domini DEI mei! procul ſint blasphemiæ, & perjuria!.. amabo te *opere*, & feſtos dies ritè ſanctificabo!.. Ecce tantum imperat amor, qui ſufficit ad ſalutem, amor neceſſarius, amor vulgaris: ſed *amor fervens* effert ſe altiùs, & cor explicat in ampliſſima deſideria, os adhibet in perpetuas laudes, opera omnia unicè ordinat ad beneplacitum DEI... Similiter *ad ſecundam tabulam* contentus eſt amor vulgaris, ſi dicat: obediam Præpoſitis meis: abſit à me rebellio! diligam proximum meum propter te, DEus mi, neque ulli, etſi inimicus ſit mihi, corde, ore, aut opere damnum inferam ſive in corpore, ſive in anima, ſive in fortunis, ſive in honore: abſint à me rixæ, & homicidia! abſit libido omnis, & ſcandalum! abſit omnis injuſtus do-

lus, & vis! abſit omnis contumelia, & detractio!... Multa putatis dici? multa, fateor, ſed non plura promittitis, quàm *amor neceſſariùs* exigit, amor *fervens* nunquam dicit: ſufficit! ampliùs, ampliùs progreditur: adorat Majorum nutum, quin præceptum expectet: nemini ægrè facit, ſed ægros ope, & ſolatiô ſublevat: libidinem ſic odit, ut etiam umbram horreat: aliena tantum abeſt, ut cupiat, ut & ſua libenter largiatur: denique honori proximi ſic conſulit, ut DEI honori, cujus imaginem cùm in quovis reſpiciat, deſpicit neminem, & *omnes* in illo pretio habet, in quo nos habuit Chriſtus, qui pretium Sanguinis ſui *pro omnibus* dedit. Hi actus, hi conatus *ferventis* amoris ſunt: neque tamen vel his contentus eſt, ſed poſtquàm fecit hæc omnia, dicit: *Servus inutilis ſum*, reprehendit ſe, & totum incipit ab initio. Sic *fervor* urget: ſic diligere, eſt *ferventer* diligere, eſt, non modò nihil diligere *contra DEum*, ſed nec quidquam diligere *præter DEum*, & DEum *ſine modo* diligere. Talem amorem da nobis, ô DEus amoris!...

Verùm quid ego dico? *talem amorem da nobis, ô DEus amoris!* fortè vix eſt inter præſentes, qui talem amorem ſeriò optet ſibi! fortè ſunt, qui cogitant: ut nihil diligam *præter DEum*, & DEum *ſine modo*, vix auſim à me ſperare: igitur ſi hoc impetrem, ut poſthac nihil diligam *contra DEum*, ſufficit! fortè, quæ toties in plebe audiuntur, etiam inter viros litteratos ac nobiles

biles uſitatæ voces ſunt: *modò in cœlum veniam, angulò ad januam contentus ero: locum altiorem occupent Monachi, non invideo.* Ignoſcite, quòd me iſta ſuſpicio torqueat: non eſt temeraria, nam ipſa verba ejusmodi ex plurium ore audivi. Verùm, egóne ſic comparatos ex hoc loco dimittam? abſit! *ſufficit! contentus ero!* verba cordis nimis frigidi ſunt. Itaque in fine Sacri Tridui neceſſe erit colligere vires, & omne robur intendere, ut *ad ſtudium fervoris* omnes inflammem. Quid nomine fervoris intelligam, dixi, & modò in uſu fidei, ſpei, & charitatis ad praxin oſtendit: ſupereſt, ut acediæ, tepiditati, languori, à quo ſtudium fervoris impeditur, diem dicam, ac bellum moveam. Itaque hic ſcopus ultimæ Meditationis erit, animare vos, ne fructu modico contenti ſitis, ſed *magno fervore* ad obtinendum in cœlo ſublimem gloriæ gradum laborare decernatis. Proptereà Meditationis *materia* eſt de fervore in Divino ſervitio. *Puncta duo* duas maximi momenti veritates oſtendent. *Contentionis* pro obtinendo in cœlo ſublimi gloria *major eſt neceſſitas, quàm credimus*, hoc primùm *minor eſt difficultas, quàm putamus*, hoc deinde audietis. Spero geminas ignaviæ radices, *errorem*, & *deſperationem* ſic evelli poſſe, & ſubnaſciturum eſſe *deſiderium ardens eminendi apud DEum* hic in gratia, ibi in gloria. Eja! *DEus nos videt*, ille DEus, cujus voluntas eſt *ſanctificatio noſtra!* cooperemur, & fervore ſingulari ſingularem favorem mereamur! fave, & *Veni Creator Spiritus!*

EXER-

EXERCITIUM III.
MEDITATIO II.
De Fervore in Divino Servitio.

PRæludium I. Virum nobilem, & Doctorem Pariſinum Franciſcum Xaverium ab Exercitiis prodeuntem vos videre putate. Nunquam fuit malus, ſed poſt Exercitia ſic converſus apparuit, ut *fervor hominis* omnes in ſtuporem abriperet. Anteà laude doctrinæ, & honorum gloriâ *eminere ſuper alios*, unum Xaverii votum fuit, poſt Exercitia mutavit ambitionis *objectum*, calcatáque vanitate, in apicem ſanctitatis contendens, nunquam dixit: *ſatis eſt*, ſemper: *ampliùs! ampliùs!* ...

Præludium II. Dicamus cum Eccleſia: *DEus in adjutorium meum intende*, ut intelligam fervoris neceſſitatem: *Domine ad adjuvandum me feſtina*, ne creſcat languor ex remedii deſperatione! ...

PUNCTUM I.
Contentionis ad ſublimem in Cœlo gloriam major eſt neceſſitas, quàm credimus.

EXercitium Memoriæ. Virgines fatuæ plenas oleô lampades, & ardentes habuerunt, ſed vaſa omiſerunt adjungere, ex quibus affunderent oleum, ſi fortè moram faciente Sponſo deficerent lampades. Cogitaverunt, *ſuperfluam* eſſe quinque prudentium diligentiam: habemus

bemus plenas lampades, dicebant, quid opus eſt vaſis inſuper! quid factum eſt autem? extinctæ ſunt lampades, & clauſa janua. Hæc imago eſt animæ *tepidæ*, & facilè contentæ ſecum: ſervo præcepta, inquit, quid opus eſt pluribus? ſic veniam in cœlum utique, & hoc ſufficit mihi. Bellè, bellè! venies in cœlum utique, ſi præcepta ſerves usque in vitæ finem. Sed iſtud: *hoc ſufficit mihi!* modicum ſanè oleum eſt: ſi moram facit Dominus, vereor, ne deficiat totum, túque, quia contentus eſſe vis angulô poſt januam, ne quidem januam reperies, niſi clauſam. Cur verear, attendite diligenter.

Exercitium Intellectûs. Quæro: quæ eſt origo hujus ignavæ vocis: *ſum contentus angulô!* an, quia nulla vobis æſtimatio eſt loci altioris in cœlo? non puto. Sapientes enim eſtis, & intelligitis, *veram excellentiam hanc* ſolam eſſe, in cœlo excellere. Cur igitur hujus excellentiæ vobis appetitus non eſt? nempe *difficultas laboris* vos terret: ſi enim poſſetis *ſine labore* in primos Sanctorum ordines evolare, certum eſt mihi nullum fore, qui nollet. Habemus igitur mali *originem.* Ardua virtus terret, & ſublimis vertex, cui Chriſtus inſiſtit, facit, ut deſperetis eò pertingere. Non intellectus, qui rem æſtimet, deeſt, ſed animus, ut adnitatur, animus puſillus eſt nimis; inde hoc frigus, hæc ſocordia, hæc vox muliebris: *angulò contentus ſum!* ... Ego verò ex hoc ipſo argumento infero ſummum cœli omnino perdendi periculum, &

quòd

quòd contentionis *ad ſublimem gloriam* major ſit *neceſſitas*, quàm credimus, ſic evinco. Tres tantùm ad cœlum viæ ſunt, via gratiæ, via juris, & via meriti. Per viam *gratiæ* infantes, quos poſt baptiſmum mors terris eripit, ingrediuntur: per viam *Juris* ſolus Chriſtus intravit, quippe cui ſoli etiam ſine meritis ſuprema gloria titulô Filii debebatur: per viam *Meriti* eundum adultis eſt, nulli aut jus, aut gratia patrocinatur: qui caret meritis, cœlô excidit. Hæc doctrina nemini fidelium eſſe dubia poteſt. Sed quæ ſit *via meriti*, quò ſit eundum, neceſſe eſt cogitare. Dico: via meriti ſaltem neceſſarii eſt *forma reſolutio* ſervandi præcepta, hoc eſt, reſolutio fugiendi malum, & faciendi bonum, *in quibuscunque circumſtantiis* præceptum ligat. Quisquis enim hanc reſolutionem non habet, non eſt in via ad cœlum, quippe ſub hac conditione promiſſum: *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Matth. 19. Age, numquid etiam hæc veritas extra controverſiam eſt? igitur progrediamur ulterius. Interrogo, an ejusmodi *reſolutio*, ut firma ſit etiam in arduis circumſtantiis, in gravi tentatione, in ſpe obtinendi magni boni, in metu incurrendi magni mali, an inquam, non poſtulet animum generoſum, ac fortem? ex terminis patet: quid ſequitur? atqui, ajo, cui angulus in cœlo ſufficit, non eſt homo animi generoſi, ac fortis, quod ſuprà oſtendi; ſequitur: ergo non habet animum, qualem poſtulat

lat dicta reſolutio: ergo, quàm facilè occurrunt *arduæ circumſtantiæ*, tam facilè excedet è via ad cœlum: ergo facilè ipſo cœlo excidet, & propter ignaviam excidet, quòd ad locum ſublimem non aſpiraverit: ergo demum aſpirandi ad locum ſublimem major eſt *neceſſitas*, quàm credimus. Quid vobis videtur? non hæc eſt magni periculi ſatis efficax demonſtratio?...

Sed aliam addo pro Viris Nobilibus, & Litteratis ſingulariter accommodatam. Dico, ſi vir Nobilis, aut Litteratus infimô in cœlis loco velit contentus eſſe, nec verè *amat*, nec ſeriô *timet* DEum, certè neutrum agit diu. Ipſi eſte Judices, an ſolidè probem. Qui *vere* DEum *amat*, utique non ſolùm ne diſpliceat, cavet, ſed etiam laborat, *ut placeat*: primum enim timentis eſt, alterum amantis. Nunc hominem litteratum, aut nobilem conſiderate, ſi illi angulus in cœlo ſufficit, quàm nihil ſit anxius, *ut DEO placeat*. Fortè quinque talenta à DEO accepit: non abutitur ad malum, ſit ita; ſed, cui bono utitur *homo piger?* inſigne talentum eſt *illuſtris ſanguis*: viri boni ad actus heroicos per illius calorem animantur; piger ſepelit inter nugas; quomodò dicet: *amo?* talentum nobile *opes* ſunt, magnarúmque virtutum eximium inſtrumentum: piger aut defodit, aut expendit in crepundia; quomodò dicet: *amo?* talentum bono animarum, & reipublicæ ſummè utile eſt *doctrina*: piger vivit ſibi; quomodò dicet: *amo?* talentum ſummum *potentia*, &

aucto-

Digitized by Google

auctoritas eſt, quâ Præſides, Judices, Magiſtratus impedire mala peſſima, promovere bona optima *nutu* poſſunt: piger contentus titulô, honorem ſibi arrogat, laborem mandat aliis, quos neſcit, quales ſint; quomodò dicet: *amo?* denique *ipſa fide*, quæ talentum eſt, quod nos diſtinguit ab Ethnicis, ſi ad hanc formam actiones formemus, piger non utitur, vivit *ex impetu*, agit *ex opinione*, conformat ſe *uſui;* quomodò dicet: *amo?* .. Imò quomodò dicet: *timeo DEum?* Timeri ſe à pigro ipſe Dominus negat. *Ex ore tuo*, inquit, *te judico ſerve nequam!* dicis: *timens abii*, *& abſcondi!* mendacium eſt! ſi timuiſſes me, non abſcondiſſes talentum, negotiatus eſſes, lucrum feciſſes! igitur *inutilem ſervum ejicite!* ... Matth. 25. Siccine: ſervum *inutilem*, quamvis non noxium? Superi! ergo in quàm vicino ſalutis perdendæ periculo *homines tepidi* ſunt! .. nec mirum eſt: qui enim nec ſeriò *timet*, nec verè *amat DEum*, aut jam reus eſt peccati gravis, ſive commiſſionis, ſive omiſſionis, aut facilè reus erit, & ab obvia tentatione ſternetur, cùm non habeat *intra ſe* fulcrum, quod ſpiritum labantem ſuſtentet. Hem! quàm vix aliquid differas à ſervo *malo*, quisquis non contendis ferventer, ut ſolidè *bonus ſis!* ...

Exercitium Voluntatis. Ite nunc, & dicite: *modò angulum in cœlo habeam*, *contentus ſum!* ah! altiùs aſpirandi major eſt *neceſſitas*, quàm credimus, nobis maximè, quorum hæc vocatio

eſt

Digitized by Google

eſt, *eſſe primos*, & trahere alios. Memini, JEſu mi, dixiſſe te: *cùm ex altatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum!* Joan. 12. Diu non intellexi, quid velles. Denique conjeci oculos in duos viros, qui aſcenderunt ad te, ut te de cruce deponerent. DD. Sodales, advertiſtis aliquando, qui fuerint, quos ad iſtud obſequium ſibi præſtandum Chriſtus *traxit?* Joſephus ab Arimathæa, & Nicodemus fuerunt, ille *Nobilis Decurio*, Marc. 15. iſte *Magiſter in Iſraël*, Jo. 3. Ecce myſterium! Exaltatus à terra Dominus traxit ad ſe viros litteratos, & nobiles, & per illos *omnia:* ipſos enim Apoſtolos, per quos omnia traxit, priùs fecit *Doctores* per Spiritum Sanctum, & fecit *nobiles per officium Judicum*. In hac imagine intelligite veſtræ *vocationis* præſtantiam, & *obligationis* vim. Vocati ſumus, ut tracti à Chriſto, *omnia* trahamus ad Chriſtum! & trahemus ſanè omnia, ſi primi nos trahi ſinamus! unde? à terra! *à terra!*... quorſum? ad Chriſtum! *ad Chriſtum!*.. quousque? *ſupra montes?* non ſufficit: nam ſcelerum diluvium etiam montes tranſcendit. *Ad lunam?* non ſufficit: nimis varias vices in cœlo lunæ notamus. *Ad Solem?* non ſufficit: etiam in Sole ſunt maculæ, & perpetua viciſſitudo occaſûs, & ortûs non eſt hominis prædeſtinati exemplum. Ergo *in firmamentum* usque eſt enitendum? ita ſanè: neque tamen vel hic quieſcere ſecuris licet, utique quia veniet tempus, cùm etiam ſtellæ fixæ de cœlo cadent, & animæ diu pro-

bæ, ſi nollent progredi, fient reprobæ. Quò igitur usque aſcendendum eſt tandem? nempe quò JEſus trahit, qui aſcendens *ſuper omnes cœlos*, tandem in Empyrio ſuam cuilibet ſtationem deſignavit, ad quam qui ſe non evehit, ex probabili ſenſu Theologorum reperiet nullam pro ſe, quia *ſeriem gratiarum* abrumpit, & filum prædeſtinationis abſcindit. Ad implendas ſedes Angelorum, qui ſunt lapſi, vocamur: tu elatus *inter Angelos* dices fortaſſe: *ſufficit mihi!* at fortaſſe dicit DEus: *mihi non ſufficit!* Ego tibi ſedem inter Arch-Angelos, inter Thronos, inter Principatus, inter Seraphinos deſtinavi: aut huc enitere, aut locum inter diabolos quære!... Heu tonitru! aut *nullum* habebo in cœlo locum, aut *illum*, quem DEus deſignavit! Quid? ſi mihi deſignavit locum altum? quid ſi altiſſimum? an vitæ meæ ratio tantæ deſignationi reſpondet? Ah! viri Litterati, viri Nobiles! poſſumúsne credere, quòd nobis DEus non aliam deſtinaverit ſtationem, quàm inter infantes, inter pumilos, *ad januam?* non credo! igitur vocat nos in ſedem altiorem, & ſi renuimus obedire vocanti, quid faciet? heu! metuo, ne rideat in interitu noſtro, & ſubſannet!.. atque utinam inanis ſit metus! Verùm ô *viri Litterati*, vos eſtis lux mundi: ſi in mundo non lucet Sol, ùt quid occupat cœlum? detrahatur ad inferos!.. *O viri Nobiles*, vos eſtis ſal terræ: veſtro exemplô, potentia, auctoritate debetis Rempublicam ſervare ſanam, &

putre-

putredinem arcere: *Quòdſi ſal evanuerit, ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur!* Matth. 5. Agite, an hæc doctrina congruit cum illo dictamine: *ſi angulum in cœlo habeam, contentus ſum!* Ego deteſtor ignavum votum, neque per hanc vecordiam projiciam me in periculum totius cœli perdendi. Quid agam autem, ut altum in cœlo locum obtineam? ſcilicet hoc opus erit arduum! hic labor immanis!.. Omittite curas, DD. Sodales. Quòd contentionis ad ſublimem in cœlo gloriam major ſit *neceſſitas*, quàm credimus, audiſtis: nunc, quòd minor ſit *difficultas*, quàm putamus, intelligetis.

PUNCTUM II.

Contentionis ad ſublimem in Cœlo gloriam minor eſt difficultas, quàm putamus.

E*Xercitium Memoriæ.* Fundamentum hujus aſſertionis hæc ſententia eſt, quòd menſura *gloriæ* in cœlo, æqualis ſit menſuræ *meritorum* in terra juxta illud Matth. 27. *reddet unicuique ſecundùm opera ejus.* Itaque eò major erit gloria, quò erunt *plura*, & *majora* noſtra merita, notate: quò plura, & majora. Unde hoc conſiderandum eſt, utrum colligere merita *multa*, & *magna*, adeo difficile ſit, ùt putamus.

Exercitium Intellectûs. S. Thomas, & Theologi omnes requirunt ad quodvis meritum quinque conditiones. 1a. eſt, *promiſſio DEI*, quia DEus nemini quidquam ullo titulo debet, at-

que adeo nemo meritum poteſt prætendere, niſi cui ſe ipſe ſponte obſtrinxit. 2da eſt, *ſtatus viæ*, nam tempus merendi cum vita deſinit. 3tia eſt *ſtatus libertatis*, quod enim liberè non fit, actus *hominis* quidem eſſe poteſt, ſed actus *humanus* non eſt. 4ta eſt *ſtatus gratiæ*, quia actionem inimici nondum de reconciliatione ſolliciti, DEus non reſpicit. 5ta demum eſt *honeſtas operis*, eáque non modò *negativa* ùt dicimus, ſed *poſitiva*, ita ut opus ipſum non ſolùm malum non ſit, ſed etiam laudem mereatur vel ex ſua natura, vel ſaltem ex noſtra intentione, & aliis circumſtantiis. Porro ex his quinque conditionibus tres primæ noſtram curam non exigunt: promiſſionem DEI habemus, in ſtatu viæ ſumus, fruimur libertate. 4ta nempe ſtatus gratiæ, ut conſervetur, vel recuperetur, requirit laborem quidem, ſed communem, qualem etiam adhibere debent, qui *angulô in cœlis* ſe fore contentos dicunt. Igitur ſingularis difficultas ſingularem gloriam appetentibus in ſola 5ta conditione implenda occurrit. Sed videte, quantillus etiam iſte ſit labor, quô efficimus, ut noſtra merita *multa*, & *magna* ſint. Expendite, quòd ad meritum non *requiratur* aut difficultas, aut diuturnitas, aut nobilitas operis: *honeſtas* ſufficit. Si opus *ex ſe* ſaltem ſit indifferens, *a nobis* autem ponatur ex impulſu Spiritûs Sancti, ſeu ex motivo ſupernaturali, aut, quod idem eſt, *ex intentione placendi DEO*, jam opus meritorium eſt vitæ æternæ, ut proin tota diffi-

difficultas colligendi *multa* merita conſiſtat in hoc, ut medeamur noſtræ *negligentiæ*, vel *oblivioni* in uſu bonæ intentionis. Hoc ſi fiat, ecce quotidie quot ſunt opera, tot ſunt merita, & ſic *unus dies* ſapientis *integrâ vitâ* hominis vani, ac incurii melior eſt. Ponite, eſſe Regem, qui ſervo, quem amat, promiſerit dare tot crucigeros, quot una die paſſus eſt facturus *in gratiam Regis*. Iſte unâ horâ faciet ſaltem 300. paſſus, & ita pro hora accipiet 5. florenos, pro 10. horis 50. intra 7. dies 350. intra menſem 40c. intra annum 16800. florenos. Papæ! quis neget, hunc eſſe *facilem modum* multas colligendi divitias? Attamen 10. horarum quotidiana ambulatio non eſt opus nullius laboris: nobis verò modus merendi *multò facilior* eſt, & fæcundior inſuper. Non ſolos paſſus noſtros numerat DEus, ſed quemvis uſum potentiæ ſive externæ, ſive internæ, ſi ſimus in ſtatu gratiæ, & utamur *ex reſpectu ad DEum*: numerat omnem apicem, quem ſcribo, omne verbum, quod lego, omnem motum pedum aut manuum, omne ſuſpirium, omnem lacrymam, quam propter ipſum fundo, omnem nummum, quem pro ipſo expendo; parùm dixi: omnes adeò anhelitus numerat, & præmiat, ſi ad ipſum dirigantur. O DEus liberalis! ô computus meritorum ingens, ſi vel unius diei colligantur! & erit adhuc, qui conqueri audeat, quaſi difficile ſit colligere *multa* merita?.. Paulò difficilius eſt, *magna* colligere, quanquam in hoc etiam difficultas multò minor ſit, quàm putamus.

 Cre-

Credunt aliqui ad colligenda merita *magna* opus eſſe, ut opera exerceamus magna, ſingularia, difficilia, heroica. Fateor, per ardua citiùs, certiùs, altiùs aſcendi in cœlum: ſed quia operum ejusmodi ſingularium non eſt frequens occaſio, providit optimus DEus, ut per viam etiam planiorem ad parem cum Heroibus gloriam venire poſſimus. Vultis non *multa* ſolùm, ſed & *magna* merita coacervare? Obſervate duo 1. ut inter opera, 2. ut inter modos operandi ſemper *optimum* ſeligatis. Dogma utiliſſimum paucîs explico. Ut *inter opera* ſeligatis *optimum*, ſerventur hæ duæ regulæ: 1. a, opera, quæ ſunt *obligationis*, operibus liberæ *devotionis* præferuntur. 2 da, ſi poſt opera obligationis ſuperſit tempus, & occaſio alia agendi, ex pluribus illud ſeligitor, quod cenſebitis, DEO *magìs* placere. Si quæras, unde colligam, quodnam DEO placeat *magìs?* ℞. plerumque, & *per ſe* loquendo illud opus *DEO* placet magìs, quod *tibi* placet minùs, cujus rei ratio eſt hæc, quia ejusmodi opus imperat, & exequitur charitas purior, atque ab amore proprio alienior. Itaque ſic fit ſelectio *inter opera*, ut fiat *optimum*. Inter *modos operandi* optimus modus (ſaltem *ex genere ſuo*, ùt loquuntur Scholæ, nam *in genere ſuo* poteſt hic modus eſſe melior, & melior ſine fine) *modus optimus*, inquam, complectitur duo adverbia, quippe quibus, quidquid dici de perfectione operis poteſt, continetur. Sic ſe habet præceptio: *Quod agitur exteriùs accuratè, interiùs*

teriùs devotè agitur. Scio, quid objici poſſit. Dicetis: ſemper *accuratè*, ſemper *devotè* agere, utique rem eſſe difficilem. Verùm an ego dixi unquam, fieri poſſe, ut ſine omni difficultate *magna* merita colligatis? difficultatem *minorem* eſſe, quàm putamus, hoc dixi, hoc tueor. Nam quid eſt agere *accuratè?* eſt agere *cum cura*, ut ne quidem minutias negligas. Non poteſt vobis nimis difficile videri, quod ipſi à famulis veſtris ſeverè exigitis. Et quid eſt agere *devotè?* eſt agere mente libera, & non ſic immerſa negotiis, ut obliviſcatur ſubinde elevari ad DEum, & præcipuè inter moleſtias, tentationes, tædia, & alias difficultates *dicare opera ſua Regi* cœlorum præſenti, intuenti, adjuvanti; & hujus exercitii tota difficultas in hoc verſatur, *ut velis incipere*. Si vel per octiduum exerceas ſalubrem praxin, jam vix laborem ſenties: experire.

Exercitium Voluntatis. Hoc certum eſt, quòd *appetitus excellendi* levem ſit facturus quamcunque, ſi quæ adhuc gravis videatur, difficultatem. Circumſpicite orbem! Superi! quantis ſe difficultatibus objiciunt, qui aliqua nominis gloriâ excellere *in terris* volunt! Officinæ, ſcholæ, aulæ, caſtra loquuntur, quod dico: & credimus appetitum excellendi *in cœlis* minùs poſſe?.. Prô! quò me iſta cogitatio abripit? ignoſcite, ſi quid fortè audaciùs loquar! meritò enim, meritò iraſcor ego plurimorum ignaviæ, & turpiſſimo frigori, cui pellendo nulla conſi-

deratio ſufficit. Sit facile, excellere in cœlis *poſſe*: ſit periculoſum, excellere *nolle*, nolunt tamen, & antiquam repetunt næniam tetrici homines: *Modò obtineam angulum ad januam, contentus ſum!*... Vah! ubi eſt humana ambitio Adami filiis tam propria aliàs, tam communis? quis eſt, qui ſuo ſtatu contentus vivit, quando facilè poteſt cum meliore mutare? quis, qui cùm fert occaſio, non velit ex ruſtico tranſire in civem, ex cive in nobilem, ex nobili in Principem? ipſe Adamus, cùm eſſet univerſi Dominus, & audîſſet: *Eritis ſicut Dii*, continuò ſortem humiliorem pertæſus, *DEus eſſe* ambivit; inde ambitionis furor in poſteros fuſus eſt, inde omnes paſſim, pro ſua quisque ſorte, eminere, *eminere* deſideramus! Neque ego carperem hæc deſideria, modò, quantùm cupimus eminere *in via*, ubi plerorumque inania vota ſunt; tantúm ſaltem cuperemus eminere *in patria*, ubi omnes poſſemus! Obſecro, Viri Litterati, & Nobiles, quibus melior in venis calet ſanguis, obſecro, dicite, ſi ponamus, nullum eſſe in ignavia noſtra periculum: ſi ponamus, Angelum de cœlo mitti, qui certos reddat, quòd obtenturi ſimus locum in cœlo ultimum, quô nos dicimus contentos fore; ſi tamen poſſemus, ſicut poſſumus, obtinere altiorem, dicite: an deceat conatum omittere? Viri Litterati, Viri Nobiles, cogitate, quid ſequatur tam pudendam ignaviam!... Audite!.. Veníemus olim in cœlum: ita pono (faciat bonus DEus, ne de ali-

aliquo falſum ſupponam!) ſed pono: veniemus in cœlum, & ecce! *præcedent nos in regno DEI* qui?.. Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli: feramus! Qui deinde? præcedent etiam Martyres, Doctores, Virgines ſanctitatis gloriâ celebres: tolerabile eſt! Qui prætereà? præcedent nos multi cives, ac ruſtici, ex infima plebe homines, ſervi noſtri, & noſtræ ancillæ præcedent nos! hoc feremus? Nec tamen hoc eſt ſatìs. Audite Divinum Oraculum: *Publicani, & meretrices* (quis audit hoc, & non erubeſcit?) *Publicani, & meretrices præcedent vos in regno DEI?* Matth. 12. & hoc feremus patienter nos? nos, qui non raró etiam fuſo ſanguine *pro præcedentia* depugnamus? nos, quibus vix titulus placet, niſi in gradu ſuperlativo ponatur? quibus injuria fit, ſi Ornati, ſi Reverendi, ſi Nobiles dicimur? Ornatiſſimi, Reverendiſſimi, Illuſtriſſimi dici volumus! nos, qui ubique eſſe primi ambimus, primi in menſis, primi in curia, primi in templis, primi in Conventibus publicis? nos, qui adeo delicati ſumus, & teneri ſensûs *in puncto honoris*, ut ſi etiam per innocentem errorem omiſſum ſit aliquid, quod prætendimus, ſi offendimur jocô, ſi nos ſperni *ſuſpicio* ſubit, continuò velut contra crimen læſæ Majeſtatis inſurgimus: nos, ajo, feremus patienter, ut Publicani, & meretrices nos præcedant in regno DEI? ô turpis, ô pudenda patientia! Averte hoc à Clientibus tuis malum, *Mater Propitia!* DD. Sodales, ſi obliti eſtis, quòd Litterati, quòd Nobiles

ſitis, mementote ſaltem, quòd ſitis Sodales, & nolite degenerare à præcelſis cogitationibus *præcelſæ DEI Genitricis*, veſtræ Matris Mariæ. Huc vertite vultum, & animum. Scitis, nunquam curâſſe Virginem, quanta eſſet in terris: ut *magna in cœlis* fieret, hoc curavit: & quanta facta eſt? *Tanta*, ut illam Joannes viderit in ſtatura *Gigantis* à cœlo lunæ, quæ ſub pedibus erat, per cœlum Solis, qui pro amictu ſerviebat, usque ad cœlum ſtellarum, quibûs coronabatur, ſe porrigentis: & vos cœlum intrabitis *pumiliones*, pueri centum annorum? *Tanta*, ut illam David conſpexerit magnis paſſibûs proper antem, nec quieſcentem anteà, donec aſſiſteret *à dextris DEI*, ſummúmque in cœlo locum teneret *Regina Sanctorum omnium*: & vos, ſi ſubſiſtere vobis *in angulo* poſt januam liceat, contenti eritis? *Tanta*, ut Sapiens conteſtetur, quòd, quanquam multæ animæ, multis modis, multa, ac magna merita ſibi congregare contenderint, Ipſa tamen *ſupergreſſa ſit univerſas*: & vos ſine motu tolerabitis, ut vos ſupergrediantur *univerſæ*? .. Meliora auguror, & puto, quòd non.

COLLOQUIUM.

TU, *O VIRGO SINGULARIS*, quæ, quanquam in vita tua ferè *communia* egeris, nihil tamen egiſti *communiter*, ſemper avida, ut *ſingulariter*, atque præ aliis DEO placeres, affectu *ſingulari* reſpice nos, qui *ſingularem* tui cultum profitemur. *Ex Munificentia Devotorum* haud ſanè communi, *ſplendore ſingulari* hoc

Ora-

Oratorium tuis honoribus ſplendet: ſplendeat *ad incrementum Devotionis!* Abſit, ut in hoc loco præter pompam ſit nihil! fiat potiùs, fiat per te, ut auguſta loci, & aræ ſpecies ſymbolum ſit noſtrarum mentium, atque ſicut creſcit illa in dies, ſic nos nulla unquam *mediocritate* contenti, veras animi opes, *multa*, *magnáque merita* colligere avidè nunquam ceſſemus! abſit, ut ſoli parietes Sanctorum ex omni ſtatu & conditione imaginibûs ornatæ ſuperbiant! fiat per te, ut, quos colimus, imitari velimus! fiat, fiat pulchra contentio, quis futurus ſit *major in Regno cœlorum!* Vidimus, quòd hujus contentionis major *neceſſitas* ſit, quàm credebamus, & minor *difficultas*, quàm putavimus: ergo *eminere*, *eminere* in patria cupimus ſupra vulgus Beatorum, ſaltem quantùm homines litterati ac nobiles ſupra plebem eminemus in via! nihil jam *mediocre* volvimus animô: te Matrem nacti, quæ Regina Sanctorum es, intelligimus tandem, quòd *ad omnia ſumma* nati ſimus! Eja! trahe nos poſt te, & curremus! curremus! & erit hæc *prima* cura ſingulorum, ne veniat *ultimus*, & cæteris circumſtantibus ſolium tuum, ipſe à longè *ex angulo* clamet: *Ave MARIA!...*

REFLEXIO.

SEdeamus... Quis jam eſt animus vobis, DD. Sodales! itáne comparati eſtis, ùt optabam? Nemo jam veſtrûm, ô Viri Nobiles, & Litterati, nemo plebejas has fovet cogitationes ampliùs: *modò angulum in cœlo obtineam, contentus*

ſum?

ſum? O boni *Senes!* equidem multum fluxit temporis,& parùm vobis in clepſydra ſupereſt, tamen ne deſperate! fortè adhuc tres, aut quatuor anni vitæ ſuperſunt vobis, fortè annus, fortè menſis ſaltem: urgete vires ultimas! adhuc colligere poteſtis *multa*, ac *magna* merita: urgete!... Boni *Juvenes*, vobis boni ſenes invident annos vegetos, quos illi malè perdiderunt. Tacitè omnes ingemiſcunt: *Utinam eſſem junior! quantò prudentiùs jam, quàm vixi, viverem!* quid? ſic vos vivetis ut, cùm ſenueritis, ſuſpiriô ſimili veſtram debeatis damnare ſtultitiam!.. At vos præcipuè, vos, ô Viri, inexcuſabiles eſtis,ſi non excutitis veternum, quô miſerè torpetis in veſtri profectûs cura. Juvenes imprudentiam, Senes naturæ frigus poſſunt prætendere, ſi fervere non ſtudeant: vos autem, Viri, quid dicetis?.. Quanquam quid ætates diſtinguo? Omnes, quantum poſſunt, eminere, *eminere* in cœlo contendant! major eſt hujus contentionis neceſſitas, quàm credimus, minor difficultas, quàm putamus. Itaque, qui eſtis vel ſanguine, vel officio nobiles, ſic ſtatuite: quanto labore conſtitit vel mihi, vel Majoribus meis, ut in terris fierem, qui ſum! decretum eſt: *ſaltem quantum ſupra plebem emineo in terris, eminere etiam in cœlis volo, quocunque labore conſtet!...* Vos autem, quos nec conditio, nec litteræ huc usque ſuper alios evexerunt, ſic ſtatuite: Ego habeo animam æqualem animæ ſupremi Principis terræ: potuit me infortunium inter po-

ſtre-

ſtremos in terra abjicere: *ut ſim poſtremus in cœlo non feram, non patiar!..* O pia deſideria! ô propoſita magnanima! ô boni fructus Sacri Tridui!...

CONCLUSIO,

Et Exhortatio ad vitam novam ab Actu Heroico inchoandam.

SEd finis eſt: DEO ſint laudes! egimus tres dies *bene* quia in dolore, in timore, in amore. Dolor, Timor, Amor concitaverunt animum, ut ſtatuerimus vitam reliquam agere *optimè*. Ergo *finis* Sacri Tridui ſit *initium* vitæ novæ. Unde verò faciendum initium eſt? Suadeo, ut initium *ab actu heroico* fiat. *Quid*, & *cur* ſuadeam, breviter explico. Patientia!...

Actus Heroicus eſt actus virtutis Chriſtianæ *arduus*, *&* *difficilis*. Habetis deſcriptionem. Diviſio tria membra complectitur; fit enim actus difficilis. 1. Ex ſua *materia*, ſi circa illam magna ſentiatur naturæ repugnantia. 2. Ex *adjunctis*, ſi tales concurrant circumſtantiæ, ut actus de ſe facilis magnis difficultatibus objiciatur. 3. Ex *modo agendi*, ſi nempe actio etiam ordinaria cum extraordinaria applicatione virium corporis, animíque ponatur. Ideam actûs perfectiſſimè heroici, quippe in quo hæc tria ſimul junguntur, in Sacrificio Abrahami habemus. Immolare Iſaacum erat actus *naturæ ſummè repugnans*, maximè, quia erat actus *Patris* non Judicis, & Patris *talis* erga Filium *talem*, qui datus

Digitized by Google

tus erat in ſolatium ſenectutis, in ſpem poſteritatis, in *riſum* parentum: hoc enim ſignificat Iſaac, & Sara dixerat: *Riſum mihi fecit DEus*, Gen. 21. Acceſſerunt *circumſtantiæ* difficultatem augentes, *ætas* pueri jam ad ſpes implendas maturi, *locus* Sacrificii tridui itinere à loco habitationis remotus, ut lucta protraheretur, *modus* mortis non naturalis, ſed violentus, nec aliena manu, ſed paterna executioni mandandus. Quis hic non trepidâſſet? quis non cum tædio ſaltem, & languidè peregiſſet triſte miniſterium? At non ſic Abraham. Ut actui ex ſe difficili, ex circumſtantiis difficiliori, ſupremum pretium adderet, accinxit ſe cum ferventiſſima applicatione omnium potentiarum corporis, & animi. *Intellectum* contra mille objectiones captivavit, *voluntatem* contra mille obſtacula ad celerem executionem incendit, *memoriam* ab hominum judiciis, & perverſis facti ſui interpretationibus avertit: *linguæ* impoſuit ſilentium, ne vel ab uxore emendicaret ſolatium, *pedes* expedivit ad iter ſine dilatione, *oculos* direxit in deſignatum montem, ut diutiùs ſe cruciaret, *aures* voci filii accommodavit per viam, ut dolorem augeret, denique ut nihil omitteret, non famulorum, ſed *manus* adhibuit, ſuis filio ligna impoſuit, ſuis in rogo vinxit, ſuis, ut feriret, ferrum extulit, conciſurus in fruſta, niſi Angelus vetuiſſet. Hæc idea eſt actûs heroici, ex hac DD. Sodales videtis, *quid* ſuadeam: nunc *cur* ſuadeam, intelligite.

Omitto dicere *de utilitate*: certum eſt apud Aſcetas, quòd unus actus heroicus mille remiſſis ſit melior. Nihil de *neceſſitate* commemoro: Regnum cœlorum vim

pati-

patitur, & *Heroum* eſt patria. Sequelas prætereo timendas ei, qui facere ſibi non poteſt heroicam vim; nempe facilè à diabolo trahitur in peccatum mortale. Nam quia diabolus nos ſemper tentat, allicit ad ſcelus aut *per timorem mali*, aut per *deſiderium boni temporalis*, ſi malum, aut bonum paulò ſit majus, facilè fit, ut præcipitet hominem, qui Heros non eſt. Hoc ſolùm urgeo: niſi ab actu heroico vitam novam incipitis. Metuo, ne inanis ſit, quam exhibuiſtis hoc Triduô, veſtra diligentia, inanis devotio. Argumentum timoris hoc affero. Omne ſerium initium vitæ novæ, omnis *perfecta* converſio ſive ex malo in bonum, ſive ex bono in meliorem, inchoari debet *à magna victoria ſui*, id quod exempla omnium illuſtrium converſionum teſtantur, & ratio probat, quia converſio *in violenta avulſione* ab amore boni creati, & *ſeria applicatione* ad increatum conſiſtit, quæ ſine magna naturæ corruptæ repugnantia, niſi fortè ad momentum, & per nudum *affectum* ſine effectu fieri non poteſt. Jam ſi hæc ita ſunt, dicite: quem fructum ex iſto Triduo ſperabimus, ſi nemo ſit, qui faciat ſibi vim? Hoc Triduô intellectus primarias veritates attentè perſcrutatus eſt: hoc Triduô in efficaciſſimis affectibus ſe voluntas multùm exercuit: hoc Triduô magnâ diligentia in hoc converſionis negotium incubuimus, habemus lumina, ſentimus ſtimulos, quot, & quantos vix unquam ſenſimus, aut ſenſuri ſumus: igitur, ſi nihilominus non ſumus diſpoſiti ad primam victoriam, ex qua *novitas vitæ* pendet, quæro, quando àlias diſponemur? ah! vereor, ne unquam! & quoniam nunquam fiet Actus heroicus, nunquam ſequetur ſolida, conſtans, perfecta converſio; atque ita ego verba perdidi, vos aures, DEus gratias, quas hoc Triduô in nos profudit. Igitur, quantum de converſione anxii eſſe debetis, tantum *de initio converſionis* per actum heroicum cogitate. Sine actu heroico nihil fiet.

Interrogabitis, qualem poſtulem? ajo: pro variis varium. Eſt, quem conſcientia de malè peractis confeſſionibus arguit: neceſſaria eſt illi heroica generalis confeſſio: *hinc* novam vitam incipiat. Eſt, qui ſe in officium in-

truſit,

truſit, cujus adminiſtrationi parem aut intellectum, aut voluntatem non habet, non ſine gravi boni publici detrimento, & ſubditorum querelis: neceſſaria eſt illi heroica officii dimiſſio, ſi aliter providere non poſſit: *hinc* incipiat. Eſt, qui per varias fraudes, & illicitas praxes cum injuſto damno tertii multas opes corraſit: eſt, qui prohibitas uſuras exercuit, noxias lites promovit, debita non neceſſaria malè contraxit: neceſſaria eſt illi heroica reſolutio ſatisfaciendi, quibus tenetur, & in hunc finem, ſi opus ſit, contrahendi expenſas, moderandi luxum, luſum, & convivia inhibendi, ut habeat, unde ſolvat: *hinc* incipiat. Eſt, qui diuturno odiô ardens in inimicum, huc usque vindictam ſpirat, ulciscendíque ſe occaſionem optat, captat, exequitur: neceſſaria eſt illi heroica injuriæ condonatio, quam cumulet beneficiis amore Chriſti inimico conferendis: *hinc* incipiat. Eſt, qui fœdo ſceleri aſſuetus jam diu infami ſcorto cohabitat, affligit conjugem, infamat familiam, gravi ſcandalô viciniam latè offendit: neceſſarius eſt actus heroicus, quô ablegct à ſe longè turpe commercium, & exemplô modeſtiæ offendiculum tollat: *hinc* incipiat. Denique ſuus cuique Iſaac, ſuus *Riſus*, & delectatio eſt, *innocens* interdum, ſed nimius: *mortificetur!* nocens ſæpius, & multi mali reus *immoletur!* qui reſinet ab ictu manum, non eſt de cœlo Angelus, ùt Abrahami: ex inferis venit! reſiſte! urge ſacrificium! fac tibi vim! immola! *ſuſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes*, prô! quot & quanta Actûs heroici merita numeras! ... hic, ſic incipienda eſt novitas vitæ; .. Ergo finem ego verborum facio, & abrumpe. Eja! à verbis ad facta heroica! *ut cognoſcat mundus*, quia diligimus JESUM, ut fremat orcus, ut cœlum nos laudet, *ſurgite! eamus! hinc!* Jo. 14. quorſum? ... Alius ad ſacrum Tribunal, alius procul ab occaſione peccati, alius in amplexum inimici, omnes ad immolationem ſui Iſaaci per actum heroicum, *per actum Heroicum!* eamus! Comitetur euntes, & laudetur JESUS Chriſtus! ℟. In æternum.

O. A. M. D. G.

MAG 201372